BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
7 L
16

FAUSTO STAVA
ROMA
Via S. Chiara
N. 60
LEGATORE DI LIBRI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

12.7.2.16

AVGVSTINI NIPHI MEDICIS

LIBRI DVO,

DE PVLCHRO,
PRIMVS.

*

DE AMORE,
SECVNDVS.

*

BIBL. SOCIES. COLL. ROM. SOCIETATIS IESV
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Apud Godefridum, & Marcellum,
Beringos, fratres,
1549.

27

POMPEIVS CARDINALIS COLVMNA S. R. E. VICECANCELL. AVGVSTINO NIPHO S. P. D.

OPVS tuũ de Pulchro, & Amore, Niphe philosophorum præclarissime, dum omni accuratione perlegi, maxima me hercule lætitia affecit. Nobis enim nihil iucundius, posteris, nihil conducibilius, tibi uero nihil gloriosius accidere potuisse facile existimabam. His medius fidius rationibus argutissimis, ac perspicuis argumentationibus diuinum, & humanum pulchrum ratiocinaris, & ad præclarissimas demum Heroinas, Ioannamq; Aragoniam refers, ut nulla prorsus ambiguitas relinquatur, quin in Diuis pulchrum, & in hominibus principem locum obtineat. Tametsi rarissima sint huiusmodi in hominibus exẽpla: non enim uulgo speciosissima quæq; exponit natura, nostro tamen æuo parens officiosa, ac liberalis, ueluti diuinitatis æmula, ut perfectum, admirãdumq; aliquid, Dijsq; immortalibus quàm similimum gentibus proferret, Ioannam Aragoniam Columnam procreauit, atq; ab incunabulis ad hanc usq; ætatem, in qua est florentissima, per omnes pulchritudinis, & uenustatis numeros prouexit, ut facile principem locum inter formosissimas uindicarit. Animum præterea singularibus & dotibus & uirtutibus insigniuit, corpusq; tam rara, tamq; eleganti, aut diuina potius compositione cum honestate coniunxit, ut in ea præter immortalitatẽ nihil desiderari posse uideatur: ea

est

eſt frontis, orisq; ſerenitas, is cãdor, is oculorum ſplendor, ac rutilans iubar, ea deniq; totius corporis ſpecies grata, Venus, ut uel ipſi mortui inuitentur, allicianturq; ad amorem, atq; ad abſoluti pulchri ſpeculationẽ trahantur, tanta mox ſanctitate, morumq; ſuauitate, comitate, eloquentiaq; cæteras antecellit, ut nata omnibus ad uirtutẽ, honeſtatemq; cõparandam ueluti ſpeculum, ſidusq; fulgentiſſimũ merito cenſeatur. Fateor igitur nos naturæ ob hoc potiſſimũ munus plurimũ debere: uerumenimuero tibi non minus Niphe ſapientiſſime, quãdo ea, quæ ab ipſa natura nobis caduca, atq; inania conceſſa ſunt, tu ſempiterna & fere diuina reddis, ac exhibes. O præclarum pulchritudinis interpretem. O inauditam, ac propè diuinam ſapientiam. nam quod olim nec magnis quidem philoſophis erat perueſtigatum, id nobis, poſterisq; ita per te declaratum eſt, ut abſoluti, ueriq; pulchri cognitione ne ruſtici quidem ignorent. Vocabat Socrates excellẽtem uenuſtatẽ, nempe quia animũ afficeret, parui temporis Tyranidem, Plato naturæ priuilegium, Theophraſtus tacitam deceptionem, Theocritus eburneũ detrimentum, Carneades regnum ſolicitũ, diuinæ ueræq; pulchritudinis prorſus expertes. Quanto melius, atq; elegantius tu, qui libidimibus, atq; illuſionibus explosis ac fugatis diuinæ religionis, cuius dictis, & factis ſtudioſiſſimus uindex, ac defenſor acerrimus ſemper extitiſti, non fucatam illam, notham, atq; inanem, ſed ueram, ſed legitimam, ſed ſempiternam, & quam niſi ſolo uirtutis tramite aſſequi non poſſumus, pulchritudinem exhibes, amplectendamq; proponis. Perge igitur, tuisq; iſtis fulgentiſſimis armis truculentiſſimos ueritatis hoſtes fuga, funde, atq; è medio tolle. Vale.

ILLVSTRISSIMAE IOANNAE ARAGONIAE TAGLIACOCII PRINCIPI AVGVSTINVS NIPHVS.

COgitanti mihi, Ioanna Illustrißima, quo munere ex officina mea te uißitare poßem, liber in duos dißectus, & in eũ, qui de Pulchro, & in eum qui de Amore eſt, in mentẽ uenit, quo te & honorare, & uenerari admodum poße cenſui. Nam quanquam diuinus ille Plato de his accurate ſcribit, eo tamen rem hanc agreßus ſum, quòd in libri principio, medio, ac fine tua pulchritudo ſemper præ manibus occurrerit: qua ſola inſpecta, atque ad amußim explicata, liber non modo pulcher, uerumetiam admiratione dignus redditur. Et licet uires meæ longe minores in ſcribendo ſint, quàm quæ pares laudes uenuſtatis tuæ proſequantur, attamen quòd ſtylus dicendo noſter non aßequetur, tua palàm pulchritudo præſeferendo præſtabit, librumq; ita faciet illuſtrem, ut facile ſperem ſupra omnes, qui circunferuntur, uſq; ad ſydera aduolaturum. Vale.

AVGVSTINI NIPHI MEDICIS

AD ILLVSTRISS. IOANNAM ARAGONIAM TAGLIACOCII PRINCIPEM,

DE PVLCHRO LIBER.

Quomodo Prothagoras è rerum ipsa natura Pulchrum sustulerit. CAP. I.

QVONIAM, *ut superius proposuimus, sermo nobis de Pulchro, & Amore futurus est, necessarium erit primo disputare, sitne Pulchrum in rerum ipsa natura, an non sit. hæc enim earum quæstionum prima est, quæ in scientificis quæruntur. Prothagoras sophista, qui Deos aut negauit, aut in dubium reuocauit, è medio sustulit ipsum Pulchrum: quod Aristoteles uir summo ingenio præditus primo Ethicorum probauit, cum inquit, Honesta autem, & iusta, de quibus ciuitates considerat, tantam uarietatem & differentiam habent, ut lege tantum esse uideantur, & non natura. Vbi uerbum honesta Græce* καλὰ *dicuntur. Et Plato in Hippia primo, & Sympostio, & Phædro per* καλὰ *pulchra intelligit. Quare si pulchra uarietatem, & discrepantiam habent usq; adeo, ut lege tantũ, & non natura esse uideantur, fit ut pulchrum simpliciter non sit in rerum ipsa natura, sed uel solum ratione habita ad ipsos amantes, ut id pulchrum dicatur, quo amans frui*

deſiderat, id uero turpe, quo amans nequaquam frui diſcupiat. Præterea Ariſtoteles ſummus philoſophorum ubiq; pulchra ad cupiditates noſtras retulit. At cupiditates noſtræ nec omnes eædem ſunt, nec ad eandem rem referũtur. Quare nihil erit pulchrum, quod ad alium atq; aliũ amantem non ſit modo pulchrum, modo turpe: ceu cibus, qui ſano quidem corpori dulcis, affecto uero amarus eſt.

Opinio Stoicorum de pulchro. CAP. II.

STOici uero omne pulchrum è rerum ipſa natura ſuſtulerunt præter ſapientiam, in qua ſolum ineſſe pulchritudinem aſſeuerant, ſapientiam autem hanc Stoicam Plato, cuius in libris cum multa in utranq; partem diſſerantur, nihil certi elicitur, ſummi boni fulgentiſſimũ ſplendorem credidit eſſe, quem Plotinus blandam apparentiam definit. Arithmetici, qui eam numero ternario aſſimilarunt, primum impar eſſe autumãt. Dionyſius Areopagita, qui non minus erat Platonicus, quàm Theologus, per Stoicam illam ſapientiam, animam mundi interpretatur. hæc quia prima cauſa eſt, particeps mundi pulchritudo eſt, qua uniuerſum ipſum pulchrum eſt. Socrates autem in fine libri de pulchro, per ſapientiam intellexit pulchritudinem animi, quæ morum eſt ipſa concinnitas, ad quam impetrandam Deos immortales eſſe orandos docet.

Quæ de puella pulchra Lucianus. CAP. III.

LVcianus uero in eo dialogo, quem de libro ſcripſit, poſt multa, quæ de pulchro diſputauit, tandem concludit, puellam nullam eſſe, aut fuiſſe, quæ ſe pulchram eſſe non deſideret, ac colat. Sed quæ abſolute, omniq; ex parte pulchra ſit, nuſquam gentium inuentam eſſe, & ſi qua pulchritudinem aſſecuta fuerit, ſaltem eam,

eam, quam natura afferre, aut concedere poteſt, ab homini bus honoratam, à Dijs uero adamatam fuiſſe, qua opinione Charidemus eſſe uidetur, cum affirmet imperfectũ, ac mutilatum eſſe pulchrum, quod corporea natura cernitur. Nam (ut Tyrius Maximus ſcribit) Achilles, qui ab omni bus pulcher, ac formoſus exiſtimatus eſt, non fuit ſimpliciter, omniq; ex parte pulcher. Sed propterea (ut inquit) pulcher dici poterat, quia cum forma uirtutem coniunxerat. Rem uero hanc Zeuſis pictor demonſtrauit, qui cum rogatu Crotoniatum Helenam effingere decreuiſſet, antequam eam depinxiſſet, multarum uirginum Crotoniatum, & quidem pulcherrimarum partes perſpiciendo imitatus eſt, ut ex ſingulis uniuerſam Helenæ pulchritudinem colligeret, per quæ indicauit corpoream pulchritudinem in nulla puellarum omni ex parte perfectam eſſe. Lucianus etiam cum ſtatuam omnium pulcherrimam effingere eniteretur, ſtatuas diuerſorum artificum excellentiores, atq; pulchriores perpenſitauit, ut ex omnibus inſpectis unam omnium pulcherrimam perficeret, quibus etiam demonſtrauit, nullam eſſe in natura corporea pulchritudinem, quæ omni ex parte eſſet abſoluta.

Pulchrum eſſe in rerum nãtura. CAP. IIII.

QVòd autem pulchrum ipſum ſit in rerum natura, Socrates apud Platonem in Hippia maiore argumentatur: primo iuſtitia, Iuſti ſunt quicunq; iuſti ſunt: & ſapientia, Sapientes quicunq; ſapientes ſunt: & bono ſimiliter, Bona omnia quæ bona ſunt. At iuſtitiam, ſapiẽtiam, & bonum ſecundum ſe eſſe oportet. nam ſi ipſa non eſſent, alia per illa nunquam talia fierent. Quare cum pulchra omnia ipſo pulchro ſint pulchra, fit ut ipſum pulchrum ſit,

quo pulchra esse fateamur. Praterea si uera est topica illa regula, qua Aristoteles in libris de Cœlo usus est, si alterũ contrariorum est in rerum natura, alterum etiam esse oportet: cum turpe esse in rerum natura nemo sit qui dubitet, fit ut pulchrum, quod est turpi contrarium, etiam in rerũ ipsa natura sit habendum. Ad hæc amor est, ergo & pulchrum sit oportet. Amorem esse amantes omnes confitentur: at cum amor, ut definit Plato, nihil aliud sit, quàm desiderium fruendi pulchri, fit ut etiam ipsum pulchrum sit, quo frui amantes desiderant.

Quòd simpliciter pulchrum sit in rerum natura, ex illustr. Ioãnæ pulchritudine hic probatur. CAP. V.

QVòd autem omni ex parte, ac simpliciter in rerum ipsa natura pulchrum sit, argumento nobis est illustrissima Ioanna, quæ tum animo, tum corpore omni ex parte pulchra est. Animo quidem, est enim ea Heroines morum præstantia, ac suauitas (quæ animi ipsa est quidem pulchritudo) ut non humano, sed diuino semine nata esse censeatur. Corpore uero, quandoquidem forma, quæ corporis est pulchritudo, est tanta, ut nec Zeusis, cum Helenæ speciem effingere decreuisset, apud Crotoniatas tot puellarum partes, ut unam Helenæ effigiem describeret, perquisiuisset, sola illius inspecta, ac peruestigata excellentia. Nam mediocri statura, erecta, ac gratiosa membris quadam admirabili ratione formatis ornatur: cuius habitudo nec pinguis, nec ossea, sed succulenta: colore non pallido, sed ad rubrum, albumque uergente: capillis oblongis, aureisq; : auribus paruis, ac rotundis ad os commensuratis: semicircularibus supercilijs suffuscis, quorum pili breues sunt, nec densitudine horrentes: cæsijs ocellis cunctis stellis lucidio

lucidioribus, qui charites, atq; hilaritatem omni ex parte perflant: subnigris palpebris, quarum pili non prolixi, sed decenti ratione compositi sunt. Naso perpendiculariter à superciliorum intercapedine ducto, mediocri magnitudine, atq; æquali decorato. Vallecula, quæ inter nasum, et os est interposita, diuina quadam proportione formata est, ore ad paruitatem uerso, semper dulce quoddam subridente, basiola turmatim aduolantia longe magis ad se trahente, quàm magnes ferrum aduocet, atq; rapiat, cuius crassiuscula labella mellea ac corallina sunt. Dentes quoq; parui, perpoliti, eburnei, ac decenter contexti: anhelitu, qui ex eo exhalat, admirabilem odoris suauitatem redolente: uoce, quæ non hominem, sed Deam sonat: mento conualle quadam admodum intersecto: maxillis niueo roseoq; colore affectis: facie uniuersa, quæ ad rotunditatem tendens uirilem uultum refert: recto, ac procero collo, albo, atq; perpleno, inter humeros illustri quadam ratione collocato: pectore amplo, planoq;, ubi os nullum cernitur, in quo mamillæ rotundæ decenti mensura correspondentes suauissimo fragrantes odore persicis pomis persimiles redolent. Crassiuscula admodum manu, silvestri parte niuea, domestica uero eburnea, quæ facie ipsa non est oblongior, cuius pleniusculi digiti, rotundiq;, non breues sunt: ungues subincurui atq; pertenues, colore perquàm suaui, thorace pyri euersi formam subeunte, sed pressa, cuius uidelicet conus ad sectum transuersum paruus, atq; sphericus, basis ad colli radicem longitudine ac planitie excellenti proportione formatis collocantur. Ventre sub pectore decenti, & latere, cui secretiora correspondeant: amplis, atque perrotundis coxendicibus, coxa ad tibiam, & tibia ad brachium

sexquialtera proportione se habente: humeris diuina ratione ad cæteras corporis partes commensuratis: pedibus modicis, digitorum admirabili compositione structis: cuius symmetria, ac pulchritudo tanta est, ut non iniuria inter cœlicolas collocari digna sit. Quòd si morum concinnitas, forma, atq; gratia tanta est, non modo in rerum natura simpliciter pulchrum, uerumetiam nihil præter hominem pulchrum dicendum est. Igitur pulchrum esse in rerum natura supponendum est, deinde differendum quid ipsum pulchrum sit, ac quale, in quóue sit.

Virginem pulchram non esse ipsum pulchrum, aduersus Hippiam. CAP. VI.

HIppias itaque ipsum pulchrum uirginem esse dixit, quæ consensu omnium pulchra est, argumento fortasse, quoniam hæc est, quæ mouet amantes, hæc insuper cuius fruendæ amor desiderium est. quam definitionem Socrates confutauit. Primo quia oratio quippiam pulchrũ est, quæ tamen uirgine ipsa pulchra non est pulchra. Deinde pulchra equa est (quam in oraculo Deus ipse laudauit) quæ tamen uirgine pulchra non est pulchra. Insuper lyra pulchra pulchrũ quid est, olla pulchra uas pulchrũ. Simia Heracliti pulchra, & cætera id genus, quæ tamẽ pulchra non sunt uirgine ipsa pulchra. Postremo uirgo si cum feris cõparetur, pulchra, si cum Dijs, deformis cẽsenda est. Quare nõ magis pulchra, quàm turpis esse uidetur. Virgo itaq; pulchra ipsum pulchrũ non erit, quo cætera pulchra fiunt.

Aurum non esse ipsum pulchrum etiam aduersus Hippiam, & Pindarum. CAP. VII.

DEinde Hippias aliud quoddam similiter è singulis pulchris non commune respondet, aurum uidelicet dicens

dicens ipſum pulchrũ, quo omnia pulchra fiunt. cui Pindarus aſtipulatur. quod eodem libro reſpuit Socrates: primo quoniã aurũ quibuſcunq; conuenit, pulchra illa efficit: alia uero quibus non conuenit, deformat. Ergo non ſimpliciter pulchrum facit, ſed cum decet. Quocirca non ſui magis, quàm alterius ratione res ornat: deinde nec aurum ſolum eſt, quo cuncta ornantur, ſed argentum quoq;, & ebur, cæteraq; huiuſmodi.

Pulchrum ipſum non eſſe corpore bene ualere, diuitem eſſe, ac honoratum, ſenem mori, ſepeliri à filijs, ſepeliſſe parentes. CAP. VIII.

TErtio loco Hippias aliud quoddam infert, quod etiam proprium eſt potius, quàm commune: cum dicit pulchrum eſſe corpore bene ualere, diuitem eſſe, ac honoratum, ſenem mori, ſepeliri à filijs, ſepeliſſe parentes: ſic enim pulchrum idem erit, quod felicem, ac beatum eſſe. quod eo primo refellit Socrates, quoniam non res omnes præter hominem hoc ipſo pulchræ reddũtur: deinde hoc, inter homines forte pulchrũ, inter Deos autem, Deorũq; filios turpe eſt, ubi parentes nõ moriuntur, nec ſeniũ ullũ eſt.

Decorum non eſſe pulchri definitionem. CAP. IX.

ALij uero propter hæc pulchrum definientes, decorum pulchrum eſſe tradunt. Quod etiam Socrates refellit: & primo quidem, quoniam decorum incorporeũ eſt magis, pluribusq; cõmune. At definitio cum re, cuius eſt definitio, conuertitur. Deinde definitio genere conſtat, ac differentia. At decorum connexio non eſt ex genere, atq; differentia. Poſtea decoro, aut quæ ſunt pulchra uidẽtur ſolum pulchra, aut uidentur & ſunt: ſi uidẽtur ſolum, deceptio quædam circa pulchrum, potius quàm ipſum pulchrum

chrum decorum est. Hoc autem ideo falsum est, quoniam uera pulchritudo pulchra esse facit, quemadmodum uera magnitudo magna, etiam si non uideantur. At si decoro pulchra uidentur, & sunt ipsum decorum, quoties esse dat, pulchra uideri quoq; pariter largietur. Quare quæcunq; pulchra sunt, ut sunt, ita omnibus apparerent. Hoc autem falsum esse contentiones de rebus pulchris, atq; controuersiæ nobis ostendunt.

Vtile non esse pulchri definitionem. CAP. X.

SOcrates etiam utile dicit definitionem pulchri, quòd falsum esse eisdem argumentis constat: primo quia utile incorporeum quiddam est, multisq; commune: deinde definitio genere constat, ac differentia, quæ in ipso utili nõ habentur: postea utile, & decens idem est, sed decens non est pulchrum, quare nec utile. Postremo utile est, quod potentiam ad aliquid faciendum habet: sed mala ut plurimum facimus. Quare utile ut plurimum malum infert. At pulchrum nunquam est mali causa. Non ergo pulchrum utile simpliciter erit.

Pulchri definitionem non esse id quod ad bonum confert. CAP. XI.

QVoniam id, ex quo malum manat, non est pulchrum: ideo (ut Socrates inquit) aliqui opinati sunt, quod ad bonum confert, esse pulchri definitionem. Sed aduersus hos Socrates sic argumentatur. Quòd ad bonum confert conducibile est, conducibile uero bonum efficit. Quare quod ad bonum confert, bonum efficit, aliud est ab eo quod efficitur. Quapropter aliud conducibile, aliud bonum. Conducibile, & pulchrum idem. Ergo pulchrum, & bonum aliud. Neq; pulchrum igitur bonum, neq; bonum

num pulchrum, quod prorsus absurdum est.

Proculi sententia de pulchro. CAP. XII.

PRroculus uero inter Platonicos non contemnendus, in eo libro, quem de Amore, & Pulchro scripsit, tradit bonum, iustum, pulchrum idem esse: bonum enim ubi creat, ubi pro cuiusq; merito perficit iustum, ubi autem allicit pulchrum. Quare pulchrum id esse concludit, cuius allicere proprium est. Hac ratione Deum ipsum centrum unum omnium esse constituit, circa quod quatuor pulchri circulos reuoluit, mentem, animam, naturam, materiam: mentem quidem stabilem, animam per se mobilem, naturam mobilem in alio & non ab alio, materiam uero mobilem in alio & ab alio circulum ducens: est enim Deus circulorum pulchritudinis centrum, quia est ipsa pulchritudo, quæ sibi, ac alijs est pulchritudo. Deus enim cum sit ipsa pulchritudo, quæ simpliciter pulchritudo est sibi, ut punctum indiuisibile est habendum. Quo uero menti, animæ, naturæ, atq; materiæ pulchritudinem affert, ut centrum, è quo mens, anima, natura, atq; materia procedentes in idem redire nituntur, seq; undiq; pro uirili in illud circunferunt: quare & circulorum rationem subeunt.

De pulchritudinibus rerum pulchrarum secundum Iamblicum CAP. XIII.

IAmblicus uero in Platonica familia illustris, pulchritudinem asserit esse actum boni: bonum enim ipsam supereminentem dei existentiam constituit, pulchritudinem uero actum, siue radium, qui inde proueniens per omnia discurrit, primo quidem in angelicam mentem, deinde in animam totius, cæterosq; animos, postea in naturam, postremo in corporum materiam. quo uero modo radius res

huiusmodi

huiusmodi penetrando eas pulchras reddat, Iamblicus expo nit. dicit enim angelicā mētem idearum ordine decorare, animam, animosq; rationum serie complere, naturam seminibus fulcire, materiam deniq; formis exornare. Vnde quemadmodum solis radius unus corpora quatuor, ignem, aërem, aquam, terramq; illustrat: sic unus Dei radius mē tem, animam, naturam, materiamq; illuminat: & quemadmodum in his quatuor elementis, quicunq; lumen inspi cit, solis ipsius aspicit radium, per quem ad supernam solis lucem intuendam conuertitur, ita quisquis decorum in qua tuor istis mente, anima, natura, materiaq; contemplatur, Dei fulgorem, Deumq; ipsum intuetur. Hinc dixerunt pul chritudinem nihil aliud esse, quàm splendorem diuini ul tus: hic enim cum penetrat in angelos exemplaria atque ideas, in animos rationes atq; notiones, in orbium materiam imagines, in naturam semina, in corporeorum corru ptibilium subiectum formas designat, quibus ea omnia pul chra reddit. penetrat autem radius huiusmodi obscure qui dem in rerum corruptibilium subiectum, minus obscure in naturam, clare uero in orbium materiam, clarius in animos, in angelorum deniq; mentes clarissime.

Quæ Platonici de aliis pulchritudinibus, & de multiplici pulchri opinione. CAP. XIIII.

NEc solum has, quas diximus pulchritudines dicunt Platonici, sed etiam morum concinnitatem, corporis formam, & uocum consonantiam pulchritudines esse asserunt: nec has duntaxat, quæ ad res animatas attinent, sed uel plurimas alias rerum inanimatarum claritudines pulchritudines esse contendunt, in ædificijs, in statuis, in montibus, in planis, in carminibus, in orationibus, &

in cæ

in cæteris id genus, hæc enim aliquando turpia, aliquando pulchra inueniuntur. Grata enim pulchra, non grata uero turpia esse asserunt. Præterea quæ horum animam ad sui fruitionem rapiunt, pulchra habentur: quæ uero non rapiũt, turpia. Nec desunt aliæ de ipso pulchro rationes: nam Socrates pulchrum excellentem animi uenustatem, atque animi tyrannidem, Plato aliquando naturæ priuilegium, Teophrastus tacitam deceptionem, Theocritus eburneum detrimentum, Carneades regnum sollicitum, & alij aliter ipsum pulchrum esse tradiderunt.

Rationem pulchritudinis non esse corpus secundum Platonicos. CAP. XV.

SI igitur morum concinnitas, figura, & uox, pulchritudines sint, erit protritum ipsam pulchritudinis rationem corpus esse non posse. nam si animi uirtus pulchritudo est, cum hæc incorporea sint, pulchritudinis ratio non erit corpus. Præterea quamuis corpora quædam speciosa dicamus, non tamen sunt ex ipsa sui natura speciosa: siquidem corpus hominis unum, atque idem hodie formosum, cras autem casu aliquo fœdans deforme cernitur, quasi aliud sit esse corpus, aliud esse formosum.

Rationem pulchritudinis non esse quantitatem secundum Platonicos. CAP. XVI.

NEc pulchritudinis ratio est quantitas: quandoquidem grandia nonnulla, atq; item breuia, quæda formosa uidentur, ac sæpe magna deformia, parua formosa, & contrà parua turpia, magna gratissima: nonnunquam etiam accidit, ut similis sit in magnis quibusdã, & paruis corporibus pulchritudo. Si itaq; stante sæpenumero eadem quantitate casu quodam pulchritudo mutatur, & mutata

aliquan

aliquando quantitate permanet pulchritudo, ac similis in magnis, paruisq; uidetur, certe duo hæc, pulchritudo, & quantitas, omnino debent esse diuersa.

Pulchritudinem non esse speciem incorpoream, quæ à re, quæ placet, multiplicatur in anima amantis. CAP. XVII.

FIcinus uir doctissimus, non discernens inter id, quo (ut ita loquar) & id quod, speciem rei quæ à re proficiscitur ad ipsam animam, asserit esse pulchritudinem. Quod quidem falsum est, quoniam pulchritudo non esset realis (ut philosophorum uerbis utar) sed intentionalis. At intentionale simulacrum non placet, sed est, quo placet animæ id, cuius est simulacrum. Præterea species rei pulchræ repræsentat animæ aliquid, aut pulchritudinẽ, & ita circa speciem pulchri intentionalem est in re pulchra pulchritudo ipsa realis, & hanc quærunt uiri doctissimi: aut repræsentat turpitudinem, quod nequaquam est dicendum: non enim imago ei responderet, cuius est imago.

Quomodo pulchritudo sit corporea, quomodoue sit incorporea. CAP. XVIII.

SEd quoniam Plato pulchritudinem incorpoream, ac spiritalem esse autumat, ideo quónam modo corporea, quóue incorporea, ac spiritalis sit, exponamus. Supponit enim ipse pulchritudinem, aut gratiam esse omnino, aut non sine gratia, qua res pulchra amantibus grata est. At gratia in corpore pulchro partem nõ habet, in qua certa, ac constituta ratione sit, ita ut in nulla alia corporis parte habeatur: tenet enim gratia in aliquibus puellis uocem, atq; dicendi suauitatem, in aliquibus oculos, in alijs os, manus, incessum, maxillam, & ne singula prosequar, nullam habet corporis partem definitam, sed eam, qua animum

amantis

amantis rapit ad sui fruitionem. Verum quoniam amantis anima interdum à manu, nonnunquam ab oculis, aliquando ab ore rapitur, fit ut gratia nulla in corporis parte sit, sed uel in singulis, quo singulæ amantũ animas rapere possunt aliquando. In Lesbia gratia fuit in ocellis, ocellis enim cepit Catullum. Simili ratione in Laura, nam Laura suis oculis animum mouit Petrarchæ. In Fuluia uero, quæ tua aulica est, Ioanna illustris, gratia fuit tum in oculis, tum in dicendi suauitate. his enim, ut ingenue fatear, me & cepit, & mihi me rapuit. Cum igitur gratia circa initia motus nullum constitutum corporis membrum habeat, fit ut recte Plato eam incorpoream, ac spiritalem esse arbitretur, quod nec corpus, nec aliquam corporis partem, nisi pro affectu amantis teneat. Est uero corporea, quoniã post animi raptum uniuersum corpus gratiosum, ac gratum redditur amanti. Quare fit, ut gratia uniuersum amatæ corpus occupet. Quod autem uniuersum corpus occupat, corporeum est, atq; corpori ipsi coëxtensum. Itaq; post animi raptum gratia, quæ pulchritudo est, corporea est censenda: fuit enim gratia circa motus initia in Fuluia incorporea, quoniam non totum corpus occupabat. Postquam uero mecepit, ac rapuit, corporea facta est, ac uniuerso corpori coëxtensa, quoniam mihi totum corpus gratiosum atque gratum redditum est, nihilq; in eo est, quin mihi iucundum sit. In te autem sola, Ioanna illustris, gratia, ac pulchritudo corporea simul, atque incorporea est: incorporea quidem, quoniam nulla in parte determinata est, quin in alia esse possit, quippe cum singulæ amantum animas & rapere, & capere possint: corporea uero cum diuinum corpus tuum gratum, atq; pergratiosum sit omnibus, nihilq;

in eo non laudabile perſpiciatur.

Pulchritudinem non eſſe certam membrorum proportionem, atq; commenſum cum quadam colorum ſuauitate, ſecundum Platonicos. CAP. XIX.

SVnt autem nonnulli, qui certam membrorum omnium portionem, ſiue (ut eorum uerbis utar) commenſurationem, & proportionem cum quadam colorum ſuauitate eſſe pulchritudinem opinentur. quorum opinionem propterea non admittunt Platonici, quia cum huiuſmodi partium diſpoſitio in ſolis ſit rebus compoſitis, nulla eſſent ſimplicia pulchra: nunc autem puros colores, lumina, uocem unam, fulgorem auri, & argenti candorem, ſcientiam, animam, quæ omnia ſimplicia ſunt, pulchra uocamus: nosq; iſta mirifice, tanquam re uera ſint pulchra, delectant. Præterea proportio illa cuncta includit corporis propoſiti membra: neq; eſt in ſingulis, ſed in cunctis. Singula itaque membra per ſe pulchra non erunt: ex ſingulis autem particulis totius compoſiti proportio naſcitur: unde non nihil ſequitur abſurdi, ut quæ ſuapte natura pulchra non ſunt, pulchritudinem pariant. Sæpenumero etiam accidit, ut manente eadem membrorum proportione, atque menſura, corpus æque ut antea non placeat. Eadem porrò hodie, quæ anno ſuperiore corporis figura eſt, atque membrorum commenſuratio: pulchritudo uero non eadem, cum non eodem modo animam rapiat ad ſui fruitionem: nihil tardius quàm figura, nihil citius ſeneſcit quàm pulchritudo: ex quo liquido conſtat, non idem eſſe pulchritudinem, & figuram. Sæpe quoq; uidemus rectiorem in una quadam puella, quàm in alia diſpoſitionem partium

menſu

mensuramq; membrorum. Alia tamen nescimus: qua de causa nobis formosior iudicata amatur ardentius. quo satis admoneri uidemur, ut aliud quiddam formositatem, quàm dispositionem partium censeamus. eadem nos ratio admonet, ne formam suspicemur esse colorum suauitatem: plerunque enim color in seniore clarior, in iuniore gratiosior est: & in æqualibus sit nonnunquam, ut quæ colore superat alteram, pulchritudine tamen ab illa superetur. Simili ratione mixtionem ex figura, coloribusq; pulchritudinem esse negant: sic enim neq; scientiæ, neq; uoces, quæ colore, & figura carent, neq; colores, & lumina, quæ certam nullam figuram habent, pulchra essent.

Quæ sit pulchri definitio, secundum Platonem, & Socratem. CAP. XX.

His disputatis, quæ circa singula corporea per sensum & opinionem Hippias adducebat: pulchritudinem Plato esse inquit gratiam quandam, quæ animam per mentem, uisum, & auditum mouet, hoc est allicit, & rapit ad sui fruitionem. Quæ definitio partim ex Hippia maiore, partim ex Phædro, & Symposio colligitur. Qua ratione Socrates recte dixit, pulchritudinem esse gratiam quandam, qua res ipsæ siue animatæ, siue inanimatæ, simplices, siue compositæ, per mentem, uisum, & auditū, animæ placent, aut gratæ sunt. Quòd autem pulchritudo gratia sit, quæ animam mouet, hoc est allicit, & rapit ad sui fruitionem, nullo alio argumento Socrates probauit, nisi sola obseruatione: quia amantium animas uidemus moueri, allici, atq; rapi, à gratia rei amatæ. Quòd profectò non esset, nisi gratia esset pulchritudo, quæ animum mouet, allicit, atque rapit ad sui fruitionem. Non ab ratione itaque Menander

Platonicus asseruit pulchritudinem corporis esse gratiam quandam, quæ influxu suæ ideæ in ipso refulget. hæc enim est, quæ amantium animas mouet, allicit, atq; rapit ad sui fruitionem.

Per quæ pulchritudo, quæ gratia est, animā rapiat ad sui fruitionem secundū Platonicos. CAP. XXI.

SEd quoniam non potest pulchritudo rapere animam ad sui fruitionem, nisi perueniat ad eam, nec peruenire potest ad eam, nisi per aliqua deferatur, ideo quæ illa sint, quibus pulchritudo gratiaq; ipsa ad animam deferatur, Socrates exponit. sunt enim in raptu huiusmodi duo motus, alter, & primus in cognoscendo, & hoc motu res ipsæ pulchræ deferuntur ad animam. Alter uero, & secundus in amando, & hoc motu anima mouetur ad res pulchras. non potest autem motus hic secundus esse, nisi primus præcesserit: non enim possumus incognita amare. Socrates itaq; probauit primo gratiam, quæ pulchritudo est, mouere animam non solis sensibus, quoniam menti non cō ueniret: at constat pulchrum animam mouere, ac allicere etiam per mentem. Ad hæc nec per solam mētem, quia tunc per oculos, atq; aures gratia ad animam non deferretur, & si per mentem, atq; sensus, non per sensus omnes: non enim per tangendi, atq; gustandi, olfaciendiq; facultates pulchritudo, gratiaq; ipsa defertur ad animā: per hos enim anima pulchritudinem non cognoscit. Quare per hos pulchritudo nequaquam ad animam peruenire uidetur: & si per uisum, & auditum, non semper per hos simul. Sed interdum pulchritudo fertur per uisum solum, ut quæ cœli pulchritudo est: interdum per auditum solum, ut quæ uocum gratia est: aliquando per utrunq;, ut quæ puellæ forma,

ma, nonnunquam uerò per mentem, uisum, & auditum: his enim tribus aliquãdo puellæ gratia uehitur ad animas amantium: nam puellæ gratia, quæ in uocibus est, per auditum, quæ uero in forma, per uisum, quæ deniq; in morum concinnitate, per mentem ad animas deferuntur. Quare cõcludit Socrates gratiam, quæ pulchritudo est, tribus animæ uiribus uehi, à tribusq; obiectis oriri. Vires quibus uehitur sunt uisus, auditus, atq; mens, obiecta autem, è quibus oritur, sunt uisile, auditile, & intellectile: huius rei causam adducit ex eo, quia uoluptates harum trium uirium pulchræ sunt: pulchræ uero, quia cæterarum optimæ: optimæ uerò, quia innoxiæ: faciles, spiritales, lucentes, atq; maxime uitales. Quia igitur uisile, auditile, & intellectile longe magis, quàm cæterarum potentiarum animæ obiecta uoluptifica sunt, fit ut gratia quæ pulchritudo est solum per uisum, auditum, ac mẽtem animam moueat, ac rapiat, solumque in harum trium uirium obiectis pulchrum sit. Hæc Socrates. Ex quibus constat animam rapi ad fruitionem pulchri, non ad eam, quæ fit per omnes sensus: cum enim pulchritudo per omnes sensus non uehatur ad animã, animam rapere non poterit ad eam fruitionem, quæ fit per omnes, sed solum ad eam, quæ fit per tot, per quot ad animam delata est gratia ipsa. Vnde si per solum uisum pulchritudo delata est, solum ad eam fruitionem rapiet, quæ uisu perficitur: si uerò per solum auditum, etiam simili ratione ad eam fruitionem rapietur, quæ solo auditu adimpletur: sicq; eadem ratione in cæteris dicendum. Sunt igitur tres motus, primus est inuectio, qua pulchri species defertur ad animam. Deinde est raptus, quo anima post pulchri cognitionem rapitur ad fruitionem eius. Postremo est

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

fruitio, quæ nisi per omnes eos sensus fiat, per quos pulchri species uecta est, non erit perfecta.

De triplici Amore, triplicique raptu, secundum Platonicos. CAP. XXII.

HInc triplex (ut Platonici asserunt) subrepit Amor: aut enim ad contemplatiuam, aut actiuam, aut uoluptariam uitam prompti, & proclines geniti educatiue sumus. Si ad cõtemplatiuam, statim à formæ corporalis aspectu ad spiritalis, atque diuinæ considerationem erigimur. Si ad uoluptariam, subito à uisu ad tangendi concupiscentiam descendimus. Sin autem ad actiuam, atq; moralem, in sola illa uidendi, atq; conuersandi oblectatione persueueramus. Illi tam ingeniosi sunt, ut altissime prouehantur: isti tam hebetes, ut ad infima deprimantur: hi deniq; tanquam medij in media regione. Amor itaq; omnis incipit ab aspectu. Sed contemplatiui hominis amor ab aspectu ascendit in mentem. Voluptarij ab aspectu descendit in tactum. Actiui uero atq; morales remanent in aspectu. Tribus his amoribus tria nomina tribuerunt: nam contemplatiui hominis amor, diuinus, actiui humanus, uoluptarij ferinus cognominatur. Triplex etiam pulchrum, intellectuale, animale, & corporeum. Pulchrum intellectuale per mentem animam rapit ad sui fruitionem solam, animale autem per uisum solum, uel auditum tantum, uel utrunq;, corporeum per omnes sensus, quibus pulchritudo ipsa deferri ad animam potest. Triplex igitur raptus. Nam raptus, quo anima rapitur per mentem solam à pulchro intellectuali, diuinus est. Quo uerò rapitur à pulchro per uisum, uel auditum, uel utrunq;, est humanus. At raptus,

ptus, quo anima rapitur à pulchro per omnes sensus, potissimum per tactum, serinus est. Hæc de Platonicorum decretis.

De origine gratiæ, quæ pulchritudo est secundum Socratem. CAP. XXIII.

QVoniam uerò gratia, quæ pulchritudo est, non in omni pulchro æquali est, nec in omni amante eadem, de origine gratiæ differendum, secundum Platonicos. Socrates itaq; pro constanti sumit in rebus ipsis summi boni splendorem diffusum esse, in his tamen potissimum, quæ oculis, auribus, menteq; percipiuntur: per hæc enim ad ipsum bonum uisum, auditum, atq; mentem conuertit, ut sit ipsa pulchritudo ueluti circulus quidam diuinæ lucis à bono manans, in bono residens, per bonum, & ad bonum, sempiterne refluens. Si igitur quæris, quid ipsum bonum: respondet Socrates, ipsum unum rerum omnium principium. Si quæris rursum, quid actus purus: respondet esse actum, qui cuncta sequentia uiuificat. Si deinde quæris, quid ipsum pulchrum: respondet esse uiuificum actum, qui è primo bonorum fonte effluit. Si postremo quæris, quo ordine cuncta decorat, ac pulchra reddit: respondet, eum primo mentem angelicam decorare idearum ordine: deinde animos rationum serie, numerosisque discursibus: postea naturas seminibus, postremo materiam formis. A qua sententia non abhorret Aristoteles de Cœlo libro primo. Sempiternitas inquit est à semper esse sumens denominationem, immortalis sanè, atq; diuina, unde & alijs esse, & uiuere communicatum est his clarius, his uerò obscurius: nec esse huiusmodi una ratione in omnibus est: nam ut est actus omnium omnia roborans, bonum est:

ut uiuificat, lenit, mulcet, ac excitat, pulchrum: ut in cognoscente potentia eam applicat, cognitio: uerum præterea ut bonum est, procreat, regit, & complet: ut pulchrũ autem, illuminat, gratiamq; infundit. Quibus exploratis, patet gratiam originem habere ab eo siue splendore, siue esse, quod à diuina ipsa natura rebus non omnibus eodem modo communicatur: uel dilucidius dici potest, gratiã ex parte rerum, quæ animam mouent, & alliciunt, esse splendorem ipsum non eadem ratione à diuina natura rebus pulchris diffusum.

De præparatione, qua præparantur omnia ad gratiam diuinúmque fulgorem excipiendum. CAP. XXIIII.

Sed cum gratia, uel fulgor huiusmodi in materiam non prius, quàm aptissime sit præparata, descendat: non enim fulgor hic eodem modo rebus cõmunicatus est: ideo pro suscipienda gratia, atq; fulgore, oportet, ut res non eodem modo præparentur: nam corporum præparatio tribus constat, ordine, modo, specie: ordo partium intervalla, modus quantitatem, species lineamenta, coloresq; significat. Ad pulchritudinem præterea suam accipiendam uoces ferme similiter disponuntur: ordo nanq; earum est à graui uoce ad acutam ascensus, atq; inde descensus: modus, debita per tertias, quartas, quintas, et sextas uoces, tonos item, & semitonus progressio: species canora, claræ uocis intensio. His etiam tribus, ceu quibusdam elementis corpora ex multis composita & arbores, & animalia ad suscipiendam pulchritudinem disponuntur. Simili ratione elementa quatuor, lapides, atque metalla his tribus ad suscipiendam pulchritudinem aptantur. Simili profecto

pacto,

pacto, & officia, & disciplinæ: animus uerò eo potissimum ad illam est natura sua commodatus, quòd & spiritalis sit, & quasi speculum Deo proximum, in quo (ut superius diximus) diuini uultus elucet imago. Igitur quemadmodum auri, ut appareat speciosum, nihil prorsus addendum, sed terræ sordes, si quæ inhæserint, secernendæ, ita nullis adiunctionibus indiget animus, ut formosus appareat, sed deponenda corporis cura, & solicitudo tam anxia cupiditatis, & timoris perturbatio depellenda: confestim enim naturalis animi species emicabit, mens uero per æternũ in ipsum bonũ, intuitũ. Cæterũ ne longius digrediatur oratio, ex superioribus breuiter concludamus. Secũdum Platonicos (ut multis uerbis deduxit Socrates) pulchritudinem esse gratiam quandam uiuacem, & spiritalem, Dei radio illustrante, angelo primo infusam, inde animis hominum, postremo corporum figuris, & uocibus, cæterisq; rebus, quæ pulchræ censentur, quæq; per rationem, uisum, auditũ animos nostros mouent, atq; delectãt: delectando autem rapiunt, rapiendo uerò ardenti amore inflammant. Hæc ex Socrate, cæterisq; Platonicis.

Qualia sint hæc, quæ de pulchro Platonici dixerunt. CAP. XXV.

ET licet quæ de pulchro Platonici tradunt, satis ornatè, atq; compositè dixerint, multa tamen eorum potius Rhetorica, quàm uera uidentur. Primum enim falsum est, cum dixerunt esse res pulchras, quæ nec sunt corpora, nec in corporibus uirtutes, uel accidentia diuinæ substãtiæ, quales sunt Deus, Angelus, & Animus, quæ sunt prorsus à corporibus abiunctæ. Quónam modo pulchræ, aut turpes esse poterunt, si non rapiant animos nostros ad

amorem? Quòd autem animos nostros ad amorem nõ rapiant, eo perspicuum, quia amor affectus est, ut Aristoteles scribit libro Rhetoricorum secundo, appetitus sensitiui: cuius duæ sunt partes, irascibilis uidelicet, & concupiscibilis: ea autem, quæ animos nostros rapiunt ad amorem, qui est affectus appetitus sensitiui, oportet ut sint sensibilia: nõ enim ut superius diximus, rapere possunt appetitum sensitiuum, nisi sensus ipsos prius pulsauerint. Quare quæ prorsus insensibilia sunt, animos nostros ad amorem rapere nõ poterunt, non igitur erunt pulchra. Tales profectò sunt diuinæ illæ substantiæ, non enim sensibus subiacent. Quòd si sensibus nostris non subiaceant, eas pulchras Peripatetici nequaquam dicent. Si uerò Platonici uelint eas animos nostros rapere ad amorem, non ad eum qui est affectus sensitiui, sed intellectiui appetitus, qui dicitur uoluntas, concedent Peripatetici. Verum, ut amor æquiuoce dicitur de amore, qui est affectus appetitus sensitiui, & de amore, qui est affectus appetitus intellectiui: ita quoq; pulchrum æquiuoce dicetur de sensibus, & insensibilibus pulchris, ita ut quemadmodum amor est proprie is, qui est affectus sensitiui appetitus, qui uerò intellectiui, metaphorice: ita pulchrum proprie erit, quod sensibus subiacet, quod uerò est insensibile, metaphorice. Præterea nihil uniuocum commune est rebus omnibus, ut Platonici, & Peripatetici tradiderunt. Non ergo potest pulchrum eadem ratione, ac uniuoca omnibus rebus inesse. Erunt igitur quædam pulchra proprie, quædam (ut ita dixerim) per metaphoram: pulchra proprie, non nisi ea, quæ animos nostros ad amorem rapiunt, qui est appetitus sensitiui affectus: per metaphoram autem omnia, quæ animos nostros mouent ad

amorem,

amorẽ, qui est intellectiui appetitus affectio. Est enim hic amor (ut ita loquar) metaphoricus, ille uerò proprius. Quare res omnino à materia, corporeaq; natura abiunctæ propria ratione pulchræ esse non poterunt: ad amorem enim proprium nequaquam rapiunt, nec alliciunt. Deinde insufficienter Socrates præparationes tradidit: nõ enim solum corpus diuinum splendorem suscipit, quo pulchrum reddatur, sed eius animus: oportet ergo saltem duas esse præparationes: alteram animi, qua animus diuinum splendorem suscipit: alteram autem corporis: præparationem animi non uidetur perfecte expositisse. Postremo ex his, quæ Socrates affert, nõ est exploratum, quæ sit ad gratiam præparatio ex parte animantium: potest enim idem pulchrum eadem præparatione affectum non omnibus amantibus eodem modo gratum esse. Quare oportet in nobis quandam præparationem inuenire, qua disponamur ad amandum magis hanc puellam, quàm illam. Socrates autem non explanauit. Est etiam non parua quæstio, utrum per solos uisum & auditum, pulchra rapiant animos nostros ad sui amorem. Pulchritudo enim, quæ gratia est, non solum in uisilibus, auditilibusq; uidetur inesse, uerum etiam in olfactilibus, tactilibus atque gustatilibus: sunt enim olfactilia, tactilia, atque gustatilia nõnulla nobis gratiora, quædam uerò minus grata. Quod esse non posset, nisi aliquid pulchri in ipsis conciperetur, quo iucundiora redduntur. Quod autem ita sit, ipsa cuiusque cupiditas indicat, quæ expletur nunquam, nisi eam rem adepta, quam adipisci enitebatur: nempe fames, atque sitis cibo, potuque sedantur: amor autem nullo unquam corporis

poris aſpectu impletur, niſi amplexus tactilis interueniat. Quare pulchrum non ſolis uiſu, & auditu animos noſtros mouebit, ſed ijs omnibus ſenſibus, quibus pulchri ſpecies trahi poteſt ad animos.

Quòd nulla res ſimplex ſit pulchra. CAP. XXVI.

QVoniam, ut Homerus inquit, quoties plures res diuerſæ, atque diſformes, ac diſſimilares ad unius compoſiti conſtitutionem concurrunt, poſſunt cõcorditer, ac ſecundum quandam proportionis rationem, & præter concordem proportionis rationem conuenire: hinc fit, ut in ſolis rebus compoſitis pulchritudo, uel turpitudo ſit ſecundum Homerum: pulchritudo quidem, quando diſſimilaribus rei compoſitæ partibus proportionis ratio, ac concordia ineſt: quippe cum pulchritudo ſit aliud nihil, niſi talium partium concordia, Plotinusq; affirmat pulchritudinem nihil aliud eſſe, quàm ex plurium concinnitate coorientem gratiam: cui contraria eſt turpitudo, quando eis diſcordia, atq; incommenſuratæ proportionis ratio ineſt: nam turpitudo eſt aliud nihil quàm partium totius incongruentia. Hinc illud Ouidij recte infertur, pulchritudinem eſſe quandam partium diſſimilarium, ac diſformium conuenientiam, ac gratam compoſitionem. Quòd ſi pulchrum omne ſit compoſitum, fit ut nec Deus ſit aut pulcher, aut pulchritudo ipſa: quippe cum pulchrum, pulchritudoq; ipſa nõ nihil imperfectionis habeat, fit etiam, ut angelica natura pulchra eſſe nequeat, cum careat partibus, in quibus pulchritudo cõſtat. Sed tã Deus, quàm angelus bonus eſt, pulchritudo enim in eis bonitas eſt: & ſi occurres his, quoniã animus pulcher eſt, qui eſt ſimplex, dicas cum Plotino, in animo pulchritudinẽ eſſe gratiam,

quæ

quæ cooritur ex plurium ſpecierum pudicitiæ atq; pudoris cõcinnitate: plures enim ſpecies eſſe pudicitiæ, atq; pudoris nemo dubitat: fit inſuper, ut cœlum ipſum nõ ſit pulchrum, ut dicemus, ſed uel ornatum: nam licet conſtet ſtellis, quia tamen ſtellæ partes ſunt conformes, ac ſphæricæ omnes, & ſimilares, eiuſdemq; naturæ, nequaquam pulchrum eſſe poteſt, ſit adhuc, ut nec mundus pulcher ſit habendus. Quandoquidem licet conſtet cœlis ac elementis, quæ diſſimilares partes uidentur, omnes tamen ſunt conformes, atq; ſphæricæ: ubi enim nulla eſt in figuris partiũ diſſimilitudo, pulchritudo eſſe nõ poterit: quanto uerò minus elementum eſſe poteſt pulchrum, cum figuris atq; naturis partium ſit uniforme, atq; ſimilare? Inſuper nec poterit eſſe res inanimata, pulchra, artificiaria quidem, non ut ſtatua, uel templum, ſiquidem è partibus proportionis ratio non ineſt, niſi in comparatione ad rem animatam, uel naturalem. Quare erit pulchra per comparationem. Quod autem comparatione pulchrũ eſt, non eſt natura pulchrũ: eadem ratione nec oratio rhetorica, nec magiſtratus pulcher eſt, nec id genus, quippe cum & partium ratio rebus artificiarijs non inſit, niſi per ſimilitudinem ad rem aliquam naturalem, cuius ſimilitudine res ipſa artificiaria ſtruitur, naturalis uerò minime, quandoquidem in nulla rerum naturalium inanimatarum eſſe poteſt tanta partiũ aut diſſimilitudo, aut difformitas, ut in eis grata compoſitio cernatur. Quare fit ut aurum non ſit pulchrum, nec metallorum ullum, ſed uel iucundum, quando in partibus eorum nec difformitas, nec diſſimilitudo perſpicitur, ut inter eas proportionis ratio, quæ pulchritudo eſt, colligi poſſit: animata uerò minime, niſi homo, ut dicemus, uegetabilia

bilia non, quoniam partes, etsi diuersæ uideantur, non adeo dissimilares, ac differmes, ut annotari possit proportionis ratio: animalia uero muta nequaquam: nam licet partes habeant dissimilares, atque differmes, partes uerò & ad se, & ad totum sunt, ut ita dixerim, in aliquote, cum nulla quotiesuis sumpta reddat ipsum totum. Verum de his alibi.

Pulchra, quæ propria ratione pulchra sunt, secundum Peripateticos, nõ esse in rebus, nisi quæ sensibus obijciuntur. CAP. XXVII.

EX his quæ diximus facile perspicuum est, non esse pulchra propria, ac uniuoca ratione, nisi quæ sensibus subijciuntur: & licet hoc ex his, quæ diximus pateat, quoniam non nisi in rebus compositis pulchritudo cernitur, quæ sensilia sunt: causa tamen est quia pulchrum amore definitur: quod enim non rapit animos ad amorem, non est pulchrum. Quod autem rapit ad amorem, oportet ut prius delatũ sit ad animos per sensus: quippe cum amor sit affectus appetitus sensitiui. Sequitur enim amor rei sensum, quemadmodum umbra corpus, & uoluntas rei intellectionem. Quæ sensus aufugiunt, si rapiũt uoluntatem, sunt bona, ueluti quæ rapiũt intellectum, sunt uera. Igitur in solis sensilibus pulchritudo quærenda est, in rebus uero insensilibus, ut diximus, bonitas.

Pulchrum, quod proprie pulchrum est, non esse nisi in rebus, quæ solis humanis sensibus offeruntur. CAP. XXVIII.

SED in quibus sensilibus pulchrum ipsum, quod proprie pulchrum dicitur, inueniatur, non est facile definire. Verũ si quæ, Auerroës inquit, ea in paraphraxe, quã in libris

in libris de sensu, & sensili scripsit, uera sunt, nō erit difficile rem proposītam determinare: dicit enim sic, Proprietas autem comprehensionis horum sensuum in animalibus non est eadem. Homo enim comprehēdit rerum differentias, peculiaritatesq; earum proprias, quæ in re ipsa sensili sunt, quemadmodum medulla in fructu: muta uerò animalia ea comprehendunt, quæ extrinsecus sunt, quæq; sunt uti fructuum cortices: cuius rei signū affert, quoniam non ea ratione muta ipsa animalia à sensibilibus mouētur, qua homines: homines enim cantibus, harmonicisq; sonis mouentur, quibus non alliciuntur bellua. Insuper homines figuris, linearū, colorumq; rationibus rapiūtur, in quibus pulchrū ipsum consistit, quibus muta ipsa animalia nequaquam mouentur. Similiter & de cæteris sensilibus discurrit. Quæ ratio docet, res pulchras nec dici, nec haberi pulchras, nisi ad humanos sensus referātur. Aristoteles etiam in libris de anima, rem hanc clarissima ratione probauit: nam sensus, qui hominibus sunt tributi, partim ob necessitatem, partim ob uoluptatem conceduntur: mutis autem animalibus solum ob necessitatem, ut per eos cibos cognoscant, atq; discernant, & à nocumentis præcaueant, & ut ad generationem pareant: hominibus autem ultra necessitatē ad scientiarū inuentiones, & usum, & ad uoluptates sunt accōmodati. Hac ratiōe homines in sensibilibus ipsis nō solū colores, sonos, odores, tactilia, ac gustatilia, sed etiā gratias, & pulchritudines, quæ in his cōtinētur, agnoscit.

Desiderium animalium mutorū, quo mouētur ad Venerem, non esse amorem. CAP. XXIX.

CVm ex ijs pateat, muta ipsa animalia nō moueri à pulchris, fit ut desiderii, quo ferūtur ad Venerem, non

non amor propria ratione sit dicendus. Est enim amor, ut Platonem nunc sequamur in Symposio, desiderium fruendæ pulchritudinis. Sed cum muta ipsa animalia in rebus sensilibus, corporeisq; pulchritudinem non agnoscãt, ipsis desiderium non inerit fruendæ pulchritudinis. Quare nec amor. Inerit itaq; impetus quidam appetitiuus utendi, quo compelluntur quasi à natura ad generandum, qui dicatur ferina appetitio. Verum Virgil. lib. Georgic. inquit,

Omne adeo genus in terris, hominumq;, ferarumq;,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæq; uolucres
In furias, ignemq; ruunt, amor omnibus idem.

Sed utrum amor omnibus idem, posterius differendum.

De motu, quo pulchrum mouet animos nostros. CAP. XXX.

Quoniam, ut Socrates dixit, pulchrum est gratia quæ mouet animam: ideo primo exponamus, quã animæ partem mouet, deinde quis motus sit, & tertio quid amor proprie à Peripateticis definiatur. Est itaq; anima humana tripartita: nam est ea animæ pars, quæ dicitur intellectus, siue mens, est & ea quæ Græce διάνοια, Latine rationalis, cuius appetitus uoluntas est. Tertia uerò sensoria, quæ cupit, atq; concupiscit, cuius uis appetendi est sensitiuus appetitus. Pulchrum igitur mouet animam nostram non eodem modo: nam per se primo mouet sensoriam, cuius uis appetendi est appetitus sensitiuus. deinde rationalem, cuius uis appetendi est uoluntas. Vtrum uerò moueat mentem, posterius disquiretur: non tamen has animæ partes simili ratione pulchrũ mouet: sensualem enim partem necessitate rapit, partem uerò rationalem mouet, aut inclinãdo, aut alliciendo, aut persuadendo, in quo motu uinci,

tu uinci, & uincere desiderium potest. sed quis motus hic sit, declaremus. cum enim sensiles res animam moueant, aut mouent inclinando solum ad fruitionem sensualem, & motus hic non amor est propria ratione, sed appetitio dicatur sensitiua: hunc in modum ornamentum cœli, statuæ, & cætera, quæ uel uisum, uel auditum delectant, mouent animam nostram ad sui solam sensualem fruitionem. si uero mouent inclinando, & alliciendo, non autem rapiendo, licet amor iste apud Platonicos moralis dicatur, non autem apud Peripateticos proprie amor est, cum non sit cum appetitu Veneris, dicatur tamen de licentia cupiditas. si autem mouent inclinando, alliciendo, & animum nostrum rapiendo, quando motus huiusmodi fuerit cum tristitia quadam, atq; cupiditate eius, quo caremus, ac cupimus ad nostri conseruationem, hic non affectus amoris est, sed concupiscentia quædam, quæ si cibi est, fames dicitur, si uerò potus, sitis. Quãdo autem cum tristitia, atq; cupiditate eius, quo caremus, atq; ad nostri conseruationem secũdum speciem desideramus, amor est, qui affectus sensitiuus est in sensuali appetitu residens. Hic autem si fuerit cum desiderio fœminæ pulchræ, ut in ea, & ex ea pulchrum generemus, amor est, qui à Poëtis dicitur Cupido, & à Peripateticis nomine generis Amor. Si autem fuerit cum desiderio abutendæ fœminæ simpliciter, nulla ratione habita ad ipsum pulchrum, sic erit amor ferinus, qui feris, quæ pulchrum ipsum non discernunt, accommodatur. Ex his perspicuum est, quid proprie secundum Peripateticos sit amor, qui dicitur apud Poëtas Cupido Veneris filius. est enim affectus residens in appetitu sensitiuo, quo animus noster inclinatur, allicitur, rapiturq; ad ueri pul-

chri sensualem fruitionem per omnes sensus, quibus pulchri species fertur ad animam, ut in eo pulchro, atq; ex eo pulchrum generemus ad nostri perpetuam conseruationem. Quæ pulchri generatio si est secundum leges, cupido dicitur, amor honestus, & fortasse moralis, ac legitimus, qui proprie hominis est, qui secundum leges uiuit. Sin autem præter leges cupido, ipse dicetur amor turpis, atq; naturalis, ac spurius, qui hominis est, qui uiuit præter leges. est autem uterq; amor res plena soliciti timoris, ut Ouidius inquit,

Res est soliciti plena timoris amor.

Verum de Amore, Cupidine, ac Venere satis obiter dictum, posterius sigillatim dicemus.

Quid proprie pulchrum sit exponitur secundum Peripateticos. CAP. XXXI.

EX ijs non erit difficile deducere quid proprie pulchrum sit. nam si pulchrum est, quod animum rapit ad cupidinem, qui amoris est species, nihil erit pulchrum, quod ad cupidinem non referatur, qui est affectus appetitus sesitiui. Quare cum nec substantiæ intellectuales, nec cœlum, nec mundus, nec elementum moueat ad cupidinem, qui affectus est sensitiui appetitus, nullum horum pulchrum propria ratione dicetur. Cœlum igitur (ut Plinius inquit) est sculptum, nec oratio, uel carmen erit pulchrum, sed ornatum, uel decorum, nec officia, nec ædificia: non enim animum nostrum trahunt ad cupidinem, qui est affectus appetitus sensitiui. Erit igitur pulchrum quod sui gratia trahit ad cupidinem, qui est affectus sensitiui appetitus solicito timore plenus. Verum de his postea latius.

Pulchrum

Pulchrum esse solum in genere hominum. CAP. XXXII.

QVia igitur solus homo hominẽ trahit, inclinat, alli cit, rapit ad cupidineam sui fruitionem per omnes eos sensus, quibus defertur species pulchri ad animã: ideo fit ut ratio pulchri, pulchrũq; ipsum solũ in hominibus ha beatur. in cæteris autem aut non est ratio pulchri, ut in sub stantijs separatis: aut si est, per æquiuocationẽ intelligitur: res enim quæ sunt supra hominẽ, nõ pulchræ, sed bonæ potius dicuntur: res uerò, quæ citra, si pulchras ipsas uelis ap pellare, non nisi æquiuoca quadam ratione pulchras dices, ut superius est exploratum. Quare uir solus puellis, atque puella sola uiris pulchra propria ratione est asserenda, inter quos solus Amor, qui dicitur Cupido Veneris filius est habendus: nam in cæteris quemadmodum non est cupido, sic nulla ratio pulchra est censenda.

Quæ definitio pulchri secundum Peripateticos, & quotuplex pulchritudo. CAP. XXXIII.

EX ijs patet quid pulchrum ipsum sit secundum Peri pateticos: est enim gratia quædam in aliquo uiro, aut puella inuenta, quæ per omnes, uel plures sensus mouet animum ad cupidinem, qui amoris est species: gratiam autem diximus, non quam gratis damus, sed quæ in ipsa re pulchra existens eam nobis gratam reddit: est autem gratia aut relatio quædam rei pulchræ ad ipsum amantem, qua res pulchra grata amanti dicitur, aut dispositio quædam de primo qualitatis genere, quæ non est in re ipsa stabilis, ac cum difficultate mobilis, cum nihil citius senescat gratia. Diximus per omnes, aut per plures sensus, quoniam si pulchri species defertur ad animam per omnes

ſenſus, etiam per omnes rapit ad cupidinem: ſi per plures, etiam ſimili ratione per plures. Ad hæc diximus in uiro aliquo, aut puella, ut intelligatur in ſolis hominibus cupidinem & pulchri rationem inueniri. Sed cum dupliciter puella amantis animum ad cupidinem rapere poſſit, aut gratia, quæ præparationem habet in morum concinnitate, aut gratia, quæ præparationem habet in forma corporis: ideo duplex erit pulchritudo, altera quæ ad animum, altera, quæ ad corpus ſpectat. Et quæuis harum gratia quædam eſt, qua rapimur ad amorem eius, cuius eſt pulchritudo, qui amor cupido eſt.

De corporea præparatione, quæ dicitur forma ſecundū Medicos, & de errore eorū. CAP. XXXIIII.

SEd quoniam non omnis puella eſt amanti grata, uel non æqualiter, fit ut in puellis non nihil ſit, quo altera altera gratior reddatur. Iſtud autem ſecundum Peripateticos ex parte puellarum duplex eſſe ſupponamus: alterum ex parte animæ, & dicitur morum concinnitas: alterum ex parte corporis, & eſt forma: hæc autem à Socrate præparationes, quibus gratia rebus ineſt, dicuntur. De forma itaq; medici aſſerunt eam in homine eſſe optimam conſtitutionem, quam Galenus libro ij. Techne expoſuit. hæc autem optima cōſtitutio in optima compoſitione, atq; temperatione continetur. Eſt autem optima compoſitio, quæ optima membrorum formatione, debita quantitate, congruenti numero, ſituq; idoneo conſtat. Temperatio uero optima non quæ partiliter extremorum media eſt, ſed quæ conueniens inſtrumentum eſt, quo anima poteſt optimas operationes exercere. Verum hæc medicorum expoſitio non ſatis dilucidat corpoream ipſam præparationem, quoniam

niam non est omni ex parte puella pulchra, cuius uox non fuerit suauis, ac decora, & harmonica. at cum de constitutione loquuntur, nihil de uocum præstantia tradiderunt. Quare non sufficienter corporis formam, quæ est corporea ad gratiam præparatio, tradiderunt.

De numero præparationum, quæ præparant pulchrum ad gratiam. CAP. XXXV.

SEd antequam de præparationibus dixerimus, utile est pertractare quot præparationes sunt, quæ præparant pulchrum ad gratiam. generatim enim duæ sunt: ex parte animæ morum cõcinnitas, ex parte corporis speciei. speciatim uerò ex parte corporis tot sunt, quot sunt sensus, quibus species pulchri defertur ad animam. non enim species pulchritudinis, qua puella dicitur pulchra, uno sensu defertur ad animam, sed uisu defertur corporea dispositio, auditu uerò uocum harmonia, olfactu odoris, qui membrorum est suauitas, tactu deniq; carnis læuitas, ac mollities: per gustum autem nihil pulchri, quod in puella est, defertur ad animam, nisi gustus coincidat cum tactu, & sic defertur species quædam dulcis, quod in basiis sentit. Erũt igitur præparationes ex parte corporis quinq;. Prima, cuius species per uisum defertur, deinde ea, cuius species per auditũ, postea illa, cuius species per olfactum, quarta, cuius species ad animam ducitur per tactum, quinta, cuius species defertur per gustum. Dicitur autem prima forma, secunda uerò harmonia, tertia suauitas, quarta lenitas, quinta dulcedo. De ijs igitur per ordinem differendum. nam postquam de his seorsum dixerimus, de uniuersa corporis præparatione, quæ dicitur species, erit sufficienter exploratum.

De ea corporis præparatione, quæ dicitur forma, secundum Alcinoum Platonicum, deq; coporis symmetria. CAP. XXXVI.

DE forma igitur quæ Alcinous Platonicus asseruit tractemus: tribusq; eam contineri tradit, ordine uidelicet, modo, et specie. Ordo, ut inquit, partium interualla, modus quantitatem, species uerò lineamenta, coloremq; significat. In primis enim oportet, ut membra quæq; corporis naturalem ordinem habeant, suo aures loco sint, oculiq;, & nares, & cætera, ac paribus interuallis oculi naso sint proximi, paribus item aures utræq; distent ab oculis: deinde modum: non enim hæc interuallorum ad ordinem pertinens parilitas sufficit, nisi partium modus accedat, qui mediocrem debita totius corporis proportione seruata, membris singulis tribuat magnitudinem, ut nasi tres in longum dispositi, uultus unius impleant longitudinem, aurium utrarunq; semicirculi unà coniuncti oris aperti circulum faciant, idem quoque coniunctio superciliorum efficiat, longitudo nasi longitudinem labij compleat, auriſque similiter, gemini oculorum orbes unum æquent oris hiatum. Capita octo proceritatem corporis absoluant, eandem quoque monstret brachiorum in latus extentio, cruruмque similiter, ac pedum. Plinius autem, Varro, atque Vitruuius tradiderunt non esse corporis formam decentem, ni decenti quantitate corpus fuerit formatum, ut non sit supra mensuram septem pedum, pede existente sexdecim digitorum, habeaturque in umbilico humani corporis centrum, linea uidelicet ab umbilico protracta, & per digitorum, manuum, atque pedum circulum describente, sitque, ut Vitruuius inquit, faciei longitudo

gitudo longitudinisq; eius, quæ totius corporis est pars decima, designata faciei longitudine à menti extremitate usque ad punctum, quod in fronte est ad finem radicum capillorum, & longitudo, quæ ab eo puncto pectoris est, in quo collum terminatur usque ad capitis apicem, longitudinis, quæ totius corporis est, pars sit quarta, & facies, cuius tres partes sunt æquales, & quæ à menti extremo apice ad nares describitur, & quæ ab extremo narium puncto ad superciliorum coniunctionem desinit, & quæ ab ea coniunctione ad extremum frontis, in quo capilli desinunt, deducitur. Et manus, cuius longitudo faciei longitudini æqualis est. Faciem mulieris laudauerunt, si uiri faciem referat: uiri autem, si mulieris: corpus autem, cuius digiti, qui pollex dicitur, magnitudo subdupla sexqualtera magnitudini brachij est, & magnitudini armi subtripla. Tibiæ uerò magnitudo ei magnitudini, quæ brachij est, sexqualtera, & quæ colli similiter ad eam, quæ tibiæ, & quæ coxæ ad eam, quæ brachij tripla. Quæ ratio docet in corpore recte formato minimum esse digitum, maximum autem coxam. Præterea corporis, quod recta ratione componitur, habitudo nec carnosa, nec ossea est, sed media admodum succosa, atque lenis, nec ad præparationem modus sufficit, sed necessaria est species, quæ lineamenta, coloresq; significat: color enim non eousq; albus sit, ut in pallorem uergat, sed candiruber, ut Aristoteles in physiognocis inquit: subfusculus color (ut ita dixerim) non deformat, quo colore ipsa erat Venus, quíue Nasoni non displicuit. Manus exterius candidissimæ, interius autẽ eburneæ: oculi nigri, quos Deam pulchri habuisse ferũt. oculos uerò inter albos, & nigros laudauit Auicenna, si

lucidi, immaculosi, pleniusculi, hilares fuerint, sunt enim pulchri, ingenij etiam, ac fidei notæ. Homerus in Pallade laudauit grandiusculos, albosq; oculos, laudauerunt eam faciem, quæ ad rotundum uergit, longe magis, quàm eã, quæ in lõgum tendit, frontem admodum spatiosum, nasum parum, atq; rectum, qui à finibus superciliorum ortum habet, labella quæ potius in crassam ipsam mediocritatem, quàm in tenuem surgunt, genas carnosas, pectus amplum, in quo uix locus ossis patet, manus crassiusculas, digitorumq; nodos æquiplenos, ungues parum admodum curuos, mammas uerò, quæ nec magnitudinem, nec paruitatem excedunt, succulentas, atq; rotundas persicorum pomorum instar, quæq; odoris suauitatem redoleant. Quibus perspicuum nullum esse pulchrum, quod partes non habeat plures distinctas, figuris diffórmes, naturis uerò dissimilares, ea uidelicet ratione inter se, & ad totum se habẽtes, ut ex cuiusuis membri quantitate totius pulchri corporis quantitas reddatur. Hac ratione Pythagoras supponens Herculis corpus fuisse pulchrum, ex illius uestigio totius corporis quantitatem uestigauit: erat enim commensuratum, si pulchrum esse supponebatur.

Quòd nihil præter hominem sit pulchrum. CAP. XXXVII.

QVoniam uerò sunt quædam, quæ uel uolũtati summopere placent, ut puta quæ simpliciter perfecta, & bona sunt, ut diuinæ ipsæ substantiæ: uel quæ sensitiuo ipsi appetitui, ut quæcunque periucunda, atque uoluptificæ sunt nobis, hæc nunquam uulgus pulchra dicit. uerum, ut diximus, pulchrum natura est præter hominem. quando enim in homine partes sunt perplures, distinctæ, figuris diffor

differmes, naturis dissimiles, inter se, & ad totum proportionis rationem habentes, eius corpus pulchrum natura est, atque formosum: cum uerò inter se, & ad totum proportionis rationem non habent, natura deforme existimatur: hinc fit, ut nulla res partis expers pulchra sit, & sic nec Deus, nec angeli pulchri, sed boni, atque perfecti sunt: quippe qui iucundi uoluntati sunt. Cœlum uero nõ est pulchrum, licet iucundum, sculptum, & ornatum sit: nam licet partes habeat, distinctæ tamen non sunt, nec figuris, nec naturis dissimilares, omnes enim sunt sphæricæ, atque ut Aristoteles inquit, eiusdem naturæ. Mundus etiam nequaquam, nam licet partibus constet distinctis, atque naturis dissimilaribus, sunt tamen omnes conformes: cunctæ enim sphericæ sunt res artificiales, licet sint iucundæ, atq; uoluptificæ, non tamen sunt natura pulchræ: quod enim ipsum in se non est natura, nec ipsum in se pulchrum natura esse potest. Res minerales, licet sint utiles, iucundæ, atq; pergratæ, pulchræ tamen esse nequeunt, cum partium distinctione, atque proportione uacent. Res animatæ uegetæ ipsa anima non sunt pulchræ, licet iucundæ, utiles & uoluptificæ, partium enim distinctione uacant, nec in eis ex cuiusuis membri quantitate totius redditur quãtitas. Hæc enim partium ad totum rationis proportio nondum in eis comperta est. Muta etiam animalia pulchra non sunt, quoniam alia carent partium differentia; ac distinctione, ut aquatilia, quæ monstrosa Aristoteles esse dicit, quia partium distinctione uacant, atq; differentia, ut insecta, & genus anuloforum etiam propter eandem causam, alia partes distinctas habent quidem, ut uolatilia, & progressiua, uerum partes ad totum proportionis ratione carent: non

enim ex cuiusuis membri quantitate totius quantitas reddi potest. Quare fit ut in solis ipsis hominibus formosi, ac deformis ratio reperta sit.

De ea proportione, quæ est uocum Harmonia. CAP. XXXVIII.

AD pulchritudinem præterea suam accipiendam uoces ferme similiter disponuntur. Ordo enim earum à graui uoce ad eclauam ascensus, atq; inde descensus: modus debita per tertias, quartas, quintas, atq; sextas uoces, tonos item, ac semitonos progressio: species autem canoræ claræ uocis intensio. Vtrum uerò musica in puellis laudetur, Philosophi non una ratione definiunt. Peripatetici uituperarunt, quòd musicæ atq; pudicitiæ perrara sit concordia. Platonici autem laudarunt, quando relaxandi gratia fit. Ego uerò ingenuis puellis, quarum maior uitæ pars ocium est, musicam, ociiq; partem omnem concederem. Nam si Aristoteles Politicorum libro ingenuis uiris, qui pro maiore parte uitæ in ocio degunt, concedit musicam, literas, gymnica, & picturam, cur ingenuis mulieribus hæc permittenda non sunt, cum ocio longe laudabiliore ipsæ fruantur? Sed de his hactenus.

De ea præparatione, quæ est in odore suauitas. CAP. XXXIX.

AD pulchritudinem etiam suam suscipiendam puellæ carnes, atq; membra, & membrorum partes, os, atq; anhelitus suauitate odoris disponi debent. Verum cum Plato nec in tactilibus, nec in gustatilibus, nec in olfactilibus pulchri rationem concesserit: quoniam per uisum, uel auditum, uel mentem, uel omnia hæc, aut per plura horum,

ra horum, pulchri ſpeciem ad animam deferri ſolum autumat, huiuſmodi in odoribus ſuauitates inter præparationes non enumerauit, ſed ſecũdum Peripateticos dicamus, per olfactum homines in puellis gratiam, atq; pulchritudinem percipere, quas non muta ipſa animalia in ſuis fœminis olfaciunt: percipiunt enim in carnibus, potiſſimum in ore, & anhelitu odorẽ: qui ſi ſuauis fuerit, eo ſumma uoluptate fruuntur: deinde quis puellam omnino pulchram exiſtimabit, ſi eius caro, atq; os fœtida fuerint? Quare ſi in fœtore partium turpis ratio deprehẽditur, in ſuauitate ipſum pulchrũ habebitur. Quòd autem ita ſit, ut diximus, puellæ ipſæ nobis argumento ſunt, quæ ut pulchriores reddantur, odoribus, unguentis, rebusq; odoriferis ſe illinunt, quæ non facerent, niſi per hæc ſe pulchriores fieri arbitrarentur.

De ea præparatione, quæ eſt in carne lenitas. CAP. XL.

AD gratiam ſuam ſuſcipiendam puellæ carnes lenitate etiam affici oportet. Quis enim puellam pulchram dicet, ſi eius carnes fuerint duræ, ſi aſperæ, ſi inſuaues? Quare ſi in his turpis ratio deprehenditur, in mollitie, lenitate, & in calidorum, atq; frigidorum mediocritate ratio pulchri habenda eſt: per tactum enim homines in ipſis tactilibus rationem pulchri agnoſcunt: quoniam in carne ſuauitatem, lenitatem, mollitiem, quæ muta ipſa animalia in ſuis fœminis haudquaquam percipiunt, puellæ etiam ipſæ nobis argumento ſunt, quæ lauacris carnes abſtergũt, leniũt, atq; lauant: quæ ut diximus, nõ facerẽt, niſi per hæc ſe pulchriores uideri opinarentur: & Cygni plumis, lacteq; coacto molliores, ut in Ouidio deſcribitur Galathea,

Galathea. Nō igitur, ut Platonici, ſed ut Peripatetici dicamus, non ſolum per uiſum, uel auditum pulchri ſpeciem deferri ad animam, ſed etiam per tactum, & olfactum: ſiquidem in olfactilibus, & tactilibus ratio pulchri dignoſcitur, per guſtum uerò nō niſi quo ſubit tactus rationem: quo enim per baſia in labijs, lingua, atq; ore dulcedinem quandam deguſtamus, etiam per guſtum ſpecies pulchri defertur. Et de præparationibus hactenus.

Quomodo de pulchro differant Peripatetici à Platonicis. CAP. XLI.

QVoniam uerò pulchrum (ut Socrates dixit) gratia quædam eſt, quæ animam mouet ad ſui fruitionem, fit ut pulchri genus duplex ſit ſecundum Platonicos: alterum quidem intellectuale, alterū (ut ita dixerim) animale. Eſt pulchrum intellectuale, quod per mentem animam mouet ad ſui fruitionem intellectualem, & hoc pulchri genere Deus, Angeli, & Animæ pulchræ ſunt. Eſt pulchrum animale, quod per uiſum, uel auditū, uel utrumque animam mouet ad ſui fruitionem animalem: hoc pulchri genere cœlum, ædificia, orationes, carmina, officia, diſciplinæ, cæteraq; id genus pulchra ſunt: mouent enim animam noſtram per uiſum, uel auditum ad ſui fruitionem, quæ uiſione, uel auditione, uel utroq; perficitur. Hoc quoque genere honeſtæ puellæ, quarum animi pulchritudo eſt morum concinnitas, mouent animam ad ſui ipſarū fruitionem animalem, quæ completur uiſu, auditu, alloquijs, ac mutuo conuictu. Peripatetici uerò addiderunt tertium genus, uidelicet pulchrū corporeum, quod mouet animam per omnes, uel plures ſenſus ad ſui corpoream fruitionem, quæ amplexu, ac tactu perficitur: cum enim pulchri

ſpecies

ſpecies (ut diximus) à tactilibus, guſtatilibus, olfactilibus, uiſilibus, & auditilibus deduci poſſit ad animam per uiſum, uel auditum, uel olfactum, uel tactum, aut guſtum, aut per omnes, uel plures huiuſmodi ſenſus, ſit ut per hos omnes, aut plures, aut unum animam moueat ad ſui fruitionem. quæ cum corporea ſit, perfecta eſſe non poteſt, niſi amplexu, ac tactu expleatur. Tale autem pulchrum corporeum ſolum in humano genere Peripatetici collocarunt. Nam quæ in genere intellectuali pulchra dicuntur, non pulchra, ſed potius bona ſunt cenſenda. Cætera quæ nõ in humano genere ſunt pulchra, ſiue corporea, ſiue incorporea, non pulchra, ſed potius ornata, aut ſculpta, aut decora, aut iucunda dicenda ſunt: quippe cum pulchrum, quod propria ratione eſt pulchrum, animos noſtros moueat per omnes, uel plures, uel unum ſenſum ad ſui fruitionem, quæ amplexu, ac tactu completur: mouet etiam animos noſtros ad amorem cupidineum, qui affectus eſt appetitus ſenſitiui: & ideo pulchrum in humano genere ſolum quærendum eſt, in quo uera amoris cupidinei ratio eſſe uidetur: ut ſit argumentum, in quibus uera amoris cupidinei ratio eſt, in his uera ratio pulchri habenda: mouet enim pulchrum ad amorem cupidineum. At uera amoris cupidinei ratio ſolum in hominibus eſt, quare & in hominibus ſolum ratio ueri pulchri collocanda eſt. Præterea in quibus ſolum eſt amicitia, in his ſolum eſt amor cupidineus, & pulchri ratio. At amicitia, ut Ariſtoteles inquit, ſolum in hominibus eſt: non enim in Dijs, aut in mutis animalibus uera amicitia eſt, nec hominis ad Deos, nec ad belluas amicitia eſſe poteſt. Quare nec amor cupidineus: cum cupidineus amor non differat ab amicitia uoluptifica,

luptifica, nisi quia amor cupidineus affectus amicitia habitus est. Quòd si amor cupidineus in solis hominibus sit, in eis ratio pulchri solum quærẽda: quippe cum pulchrum uera ratione sit, quod ad sui uerum moueat amorem cupidineum.

De animi pulchritudine. CAP. XLII.

POst hæc de animi pulchritudine differendum: nam de ea pulchritudine, quæ corporis est, satis diximus. Est autem animi pulchritudo gratia quædam, qua puella mouet animos nostros ad animalem sui fruitionem. Est autem animalis fruitio (ut diximus) ea, quæ uisu, auditu, colloquijs, conuictu, atq; conuersatione perficitur. Et quoniam unaquæq; gratia, quæ pulchritudo est, præparationem habet in re ipsa pulchra, alioquin (ut diximus) non magis pulchrum, quàm turpe, animam moueret, fit, ut præparatio huius gratiæ, quæ animi est, nihil aliud sit quàm morum concinnitas: hæc enim non aliter animam pulchram, ac amantibus gratam reddit, quàm forma corpus: trahit enim ad animalem ipsam fruitionem, sicuti forma ad corporalem.

De ea præparatione, quæ est morum concinnitas diuersæ opiniones. CAP. XLIII.

QVæ uero sit hæc morum concinnitas, non una ratione censetur. Stoici enim animi sapientiam esse autumant, quòd Socrates in Phædro probauit: Plato uerò in Cratylo prudentiam, in Charmide autem temperantiam affirmauit. Alij continentiam coniugalem, charitatem alij, pudorem alij, alij uerò pudicitiam, animi moderationem alij, alij fidem, obseruantiamq; erga maritos, honestatem uerò alij, non desunt qui etiam religionem dicant,

nec

nec ab ratione profecto: siquidem anima quauis harum uirtutum honestatur, ac pulchra redditur. Quare harum quauis præparatio ad suscipiendam gratiam esse uidetur Deo.

De concinnitate morum, quæ ad suscipiẽdam gratiam parat. CAP. XLIIII.

QVoniam ut Aristoteles scribit octauo Ethicorũ, amans ad fruendam puellam ob morum concinnitatem, interdum ex habitu, nõnunquam ex affectu mouetur, ideo duplex est morum concinnitas: altera, quæ facit habitum in amante, ut ex eo ad fruitionem moueatur: & hoc pacto morum concinnitas in omnibus uirtutibus consistit, quæ puellis, quo mulieres sunt, competere possunt: ex omnibus enim uirtutibus amicitia honesti oritur, quæ habitus est, quo amans ipse mouetur ad animalem fruitionẽ, de qua diximus. Altera uerò, quæ facit, ut ex affectu amans moueatur ad puellæ fruitionem: & hæc nullam habet determinationem. In puellis enim quibusdam est fides erga uiros, hæc enim animum Pompeij mouit ad amorem Iuliæ. In alijs est sapientia, quæ Stoicos: in alijs prudentia, quæ Cratylum, & Phædrum: in alijs temperantia, quæ Charmidem: alios mouebat honestas. Quare cum interdum uirtus omnis seorsum, nonnunquam omnes simul amãtes mouere, atq; allicere possint ad fruitionẽ, de præparatione huiusmodi certa regula nulla erit. Verũ quãquã nulla est regula, secundum tamen Peripateticos pudicitia, cui pudor æmulus, atq; assecla est, maxima præparatio ad gratiã suscipiendam uidetur. Per hanc enim anima maxime pulchra, ac Dijs quàm similima redditur: per cæteras uerò

uerò uirtutes puellæ potius admirabiles se præseferunt. Prudentia enim Xenocratam Cumeam, eloquentia atq; dicendi suauitas Hortensiam, liberalitas P. Bussam Canusinam, fides erga uirum Penelopen, ac cæteræ uirtutes cæteras admirabiles effecerunt. Hac fortasse ratione Hippias uirginem, quæ omnium iudicio corpore pulchra est, ipsum pulchrum esse affirmauit: quoniam corporis uirginitas sine animi pudicitia nõ est, quæ gratiæ est præparatio. Quibus patet, quæ puella omni ex parte pulchra sit. Est enim cuius gratia præparationem habet, & in forma corporis, & in morum concinnitate: per hæc enim duo amantium animas alliciet ad sui fruitionem tam animalem, quàm corporeã. Insuper etiam perspicuum pulchram puellam animam mouere non semper eodem modo. Puella enim, cuius gratia præparationem habet in animi concinnitate tantum, animam mouet ad animalem fruitionem duntaxat: cuius uerò gratia præparationem habet in corporis forma, animã mouet ad corporalem fruitionem: cuius uerò gratia præparationẽ habet in utroque, hæc ad sui utranque fruitionem mouere enititur. Vtrum uero puella mouendo animam ad animalem, ac corporalem fruitionẽ per omnes uel plures sensus, moueat etiam ad intellectualem per mentem, non est facile definire.

Quę Platonici de intellectuali fruitiõe. CAP. XLV.

TRadiderunt Platonici hominum animas creatas esse ante corpora, hasq; in cœlo cognouisse Dei, atq; Angelorum pulchritudines: nec solum has, sed etiam per ideas infusas omnia sciuisse: infundi uerò in humanis corporibus postquam in eis fit per agentia meritum, quo corpus animam meretur: oppressam autem corporis mole oblitam

oblitam esse, sed reminisci à sensibilibus sensus, atq; animam pulsantibus. Asserunt itaq; per uisum, atq; auditum magis, quàm per sensus alios, qui corporei sunt, reminisci animam paulatim, auditilibus, ac uisilibus in dies magis ac magis pulsantibus eius pulchri, quod antequam ad corpus ueniret nouerat: quare memoria diuini pulchri, necnon amoris concitatione circa amatoria, mouetur anima etiam ad intellectualem rei pulchræ fruitionem: est enim in re pulchra diuini pulchri simulacrum.

Quæ Peripatetici de intellectuali fruitione. CAP. XLV.

SEd hæc opinio falsa est, nec Plato sibi constans: asserit enim in libris de legibus, hominem ex terra proditũ esse: animam uerò in Phædone ab ipso Deo creatam, ubi non ante corpora ipsam factam esse probauit. Aristoteles etiam ubiq; opinionem hanc refutauit: de qua cum multa in libris de anima dixerimus, nunc de ea satis. Sed uideamus, utrum dum fruimur humano pulchro per sensus omnes, aut plures, etiam per mentem fruamur. dicendum, neminem posse humano pulchro amplexu, ac cõtactu frui, quin animali etiam fruitione gaudeat: nemo enim ad corpoream fruitionem uenire potest, quin ad animalem prius ueniat: quippe cum semper ante corpoream ipsam fruitionem alloquia, uoces hinc inde, & intuitus interueniãt, in quibus, ut diximus, animalis ipsa fruitio cõsistit: quòd uerò mentalis adhuc adsit, Aristoteles libro primo de partibus animalium perpulchre dilucidauit: asserit enim, in omni re facta, etiam minima, repræsentari artificis pulchritudinem, quæ ars est, qua rem ipsam struxit. est enim ars artificis pulchritudo, ceu forma operis. unde inquit, absurdum

enim nullaque ratione probandum est, si imagines quidem rerum naturalium non sine delectatione propterea in spectemus, quòd ingenium unà contemplemur, quod illas condiderit, id est, artem pingendi, aut fingendi, rerum autem ipsarum naturæ ingenio, miraq; solertia constitutarum contemplationem, non magis prosequamur, atq; exosculemur, modo causas perspicere ualeamus. Quamobrem uiliorum animalium disputationem perpensionemq; fastidio quodam puerili spreuisse, molestèq; tulisse dignum nequaquam est, cum nulla res sit naturæ, in qua non mirandum aliquid insit: & quod Heraclitum dixisse ferunt ad eos, qui cum alloqui eum uellent, quòd forte in casa furnaria quadam caloris gratia sedentem uidissent, accedere temperarũt, ingredi enim eos fidenter iussit, Quoniam, inquit, hic quoq; Dij sunt immortales. hoc idem in indaganda quoque natura animantium faciendum est: aggredi enim quæque sine ullo pudore debemus, cum in omnibus naturæ numen, & honestum, pulchrumque insit ingenium. Hæc Aristoteles. Si igitur, ut ipse inquit, in omni re naturali mente cernitur ingenium, quod est diuinum pulchrum, quanto magis in humano ipso pulchro, cum eo fruimur, mẽte cernitur diuinum ipsum pulchrum? Hac ratione perspicuum, corporea in ipsa fruitione pulchri esse simul tres fruitiones, mentalem, qua diuino ipso pulchro fruimur, quod est in re ipsa, animalem, & corpoream. Humanum igitur pulchrum, quum animum rapit ad sui fruitionem, simul ad tres ipsas fruitiones inuitat, atque allicit. Quare pulchrum, quod uera ratione pulchrum est, definietur esse id, quod animam rapit ad sui triplicem fruitionem.

Pulchrum

Pulchrum non semper actu animum mouere ad sui triplicem fruitionem. CAP. XLVI.

SEd his, quæ diximus, occurres: nam sunt quidam homines, quorum animus à nullo pulchro raperetur, immo nec à Venere, aut Helena: quare pulchrum non semper animum rapit: si autem animum non semper rapit, pulchrum non erit, quod ad sui triplicem fruitionem animum mouet. Dialectici dixerunt definitiones non oportere ut rebus insint actu, sed aptitudine, quarum sunt definitiones. Quare pulchrum erit, non quod actu, sed quod aptitudine aptum est mouere animam ad sui triplicem fruitionem. Licet igitur Venus sua pulchritudine Anaxarchi animam actu non moueret, deducto tamen omni offendiculo, atq; impedimento ex parte Anaxarchi animæ, apta erit mouere. hinc Thais pulchra erat, non quia amantium animos mouebat, sed quia ui suæ pulchritudinis mouere apta erat. & si intelligere uolueris pulchrum esse, quod actu animos mouet, hoc intelligas impedimentis omnibus sublatis: absentium enim animos quibus pulchrum non est exploratum, non mouebit propter absentiam, quæ unum impedimentorum est, ægrotorum, atq; semimortuorum animos minime alio intercedente impedimento. pulchrum igitur omnem animum ad se fruendum rapiet, si nihil prohibuerit.

Omnem hominem sequi desiderium fruendæ pulchritudinis. CAP. XLVII.

EX ijs uerò, quæ dicta sunt, non est difficile concludere, homines omnes, atq; puellas singulas naturali quadam inclinatione sequi pulchri fruendi desiderium, modo mas, & fœmina animalia perfecta, ac non mutilata sint,

nec ſenio defecta, quod ex ijs patet primo, quæ Platonici tradiderunt: dixerunt enim, pulchrum alterum eſſe intellectuale, quod per mentem animam rapit: alterum animale, quod per uiſum, & auditum animam mouet: & tertium ſecundum Peripateticos corporeum pulchrum eſt, quod per omnes, uel plures ſenſus animam rapit ad ſui fruitionem, quæ amplexu, ac tactu perficitur. Ex parte uerò animæ, quæ rapitur, tria ſunt, mens, ſenſus ſpiritales, uiſus, & auditus, & corporei ſenſus, olfactus, guſtus, ac tactus. Cum igitur in omnibus huiuſmodi fruitionibus perfectio quædam habeatur in amantium animis, & ad omnem perfectionem id quod perficitur naturali ſemper quadam inclinatione tendat ceu graue deorſum, & leue ſurſum, ſit ut omnes homines, ſingulasq; puellas, modo ſint perfectæ, ac non mutilatæ, ſequatur quaſi à natura deſiderium fruēdi pulchri. Hæc ex Platonicis. Sed cum Peripatetici nullum pulchrum, quod uera ratione pulchrum eſt, eſſe aſſerant, quod non moueat ad ſui corpoream fruitionem, quæ tactu, atq; amplexu expletur: ideo dicamus, homines una ratione conſiderari poſſe, qua uiuentia ſunt, & animalia alia ratione, qua ſunt homines: ſi qua animalia ſunt conſiderentur, ſenſus à natura conſequuntur propter neceſſitatem cibi, & potus, ac generationis, quibus poſſint generare ſibi ſimilia, ut homo hominem, & animal animal: & quia homines quo animalia ſunt ſenſus habentia propter neceſſitatem in ſenſilibus ipſis, per ſenſus pulchrum non agnoſcunt, fit ut homines, quo animalia ſunt, non conſequatur natura deſiderium fruendi pulchri, ſed ferinus quidam appetitus, quo generare ſibi ſimilia appetunt. dicit enim Ariſtoteles libro de anima ſecundo, naturaliſſimum

mum operum uiuentium esse quæcunq; perfecta, & non mutilata sunt, nec sponte genita generare alterum, quale est ipsum, quatenus quoad fieri potest ipso semper, ac diuino esse participent: omnia enim illud appetunt, illiusq; causa omnia agunt quæcunq; natura agunt: qua ratione fit, ut homines, quo animalia sunt, nullum fruendi pulchri desiderium natura sequatur, sed ferinus appetitus generandi, qui haudquaquam explebitur, sine uenerisusu. Potius igitur homines quo animalia sunt, natura sequetur appetitus utendæ ueneris, quàm fruendi pulchri, cum sine huiusmodi uenereo usu generatio sui similis compleri nequeat: & quoniam homines, ut homines, cum perfecti fuerint, ac non mutilati, per omnes aut plures sensus in sensilibus ipsis pulchrum percipiunt, & eo fruuntur, fit, ut homines, atq; puellæ omnes quo homines perfecti ætate, nec mutilati, aut ægroti, aut senes, natura sequantur pulchri fruendi desiderium: nam quo homines sunt in sensilibus ipsis non modo necessitatem, sed pulchritudinem per sensus cognoscunt. Quare si quo sunt animalia, eos natura sequitur appetitio utendi uenere, in fœmina sui generis propter generationem, quo homines erunt, sequetur natura desiderium fruendi pulchri in puella propter uoluptatem, ut superius diximus, cupidineam legitimam, uel illegitimam: & è conuerso puellas fruendi pulchri in uiris. Itaq; quemadmodum cibi concupiscentia, ut Aristoteles inquit tertio Ethicorum, est naturalis consequens, uidelicet uniuersam speciem, atq; genus. omnis enim homo ad subuentionem naturæ interdum siccum, quod est cibus, nonnunquam humidum, quod est potus, aliquando utrunque concupiscit: ita eos quo animalia sunt,

ad sui similis procreationem, suæq; speciei perpetuitatem appetitio utendi uenere, quo autem homines propter uoluptatem sequetur desiderium fruendi pulchri. Vtrum uerò in homine possit esse desiderium fruendi pulchri sine appetitu ueneris, posterius dicemus.

Non omnium amantium animos eiusdem pulchri fruēdi desideriū natura sequi. CAP. XLVIII.

EST tamen non parua quæstio ex ijs, quæ diximus, occurrens, Cum desiderium fruēdi pulchri homines omnes natura sequatur, cur non eiusdem pulchri fruendi desiderium omnes homines comitetur: in fruendis enim pulchris amoribusq; ipsis discrepantias non paruas uidemus. Naso enim Corynnam, Virgilius Galateam, Catullus Lesbiam, Propertius Cynthiam, Petrarcha Lauram, Dantes Beatricem adamauit: & quod magis admiratione dignum est, aliqua est, quæ ab uno summo amore diligitur, quæ tamen ab altero odio ferè habetur: cum enim unum sit pulchrum, unaq; ratione descriptum, cur non unum fruendi pulchri desiderium est? Platonici affectus quosdam connatos nobis esse tradunt, duabus de causis, tum quia paterni uultus nobis placet imago, tum etiam, quia hominis apte compositi species, & figura cum ea humani generis ratione, quam animus noster ab omnium autore suscipit, & retinet, optime congruit: unde puellæ exterioris imago per sensus accepta, transiensque in animum, si hominis figuræ, quam possidet, animus dissonat: è uestigio displicet, & odio tanquam deformis habetur, si consonat, illico placet, & tanquam formosa diligitur: quo fit, ut nonnulli nobis obuij continuo placeant, uel displiceant, nosque affectus huiusmodi causam nesciamus.

Sed

Sed hæc quæ Platonici dicunt cõmenta uidentur. nam obseruatio docet puellam hodie amari, cras odio haberi. non est autem possibile, ut eius imago exterior hodie imagini interiori consonet, cras dissonet, imo eadem hora placet, ac displicet. Aristoteles igitur tertio Ethicorum libro, assignando huius differentiæ causam, dicit, Omnes, ut Homerus inquit, cubile cupiunt (ubi cubile pro concubitu) nõ tamen idem cubile: alij enim cubile cupiunt aureis tegmẽtis ornatum, alij sericis ornamentis intectum, similiter omnes cibum, potumque concupiscunt, non tamen omnes cibum eundem, ac potum. Est enim duplex natura, altera specifica, altera indiuidua: natura enim specifica omnes consequitur pulchri eiusdem fruendi desiderium secundum speciem, omnes etiam cupiditas cibi, & potus eiusdem secundum speciem. similiter & lecti cupiditas: natura uerò indiuidua non omnes eodem numero pulchri, uel cibi, uel lecti fruendi desiderium sequetur. Nam quemadmodum alia Nasonis, alia Maronis natura est, ita alterius pulchri desiderium fruendi erit Nasonis, alterius Maronis: immo quemadmodum non est eadem indiuidua natura mane, & uespere, ut Aristoteles inquit, sic non erit eiusdem pulchri fruendi desiderium mane, & uespere. Hinc fit, ut uno tempore unam adamemus, altero autem eandem odio prosequamur: est enim indiuidua ipsa natura admodum uariatione infinita: sic etiam cupiditates, desideria, & concupiscentiæ infinitæ. Ex his triplex pulchrum exoritur: alterum quod ex parte rei pulchrum est, & hoc, ut diximus, gratia est, quæ præparationem habet in anima morũ concinnitatem, in corpore uerò formam: alterũ quod ex parte propriæ nostræ cupiditatis

nobis est pulchrum, & hoc id omne dicimus, ad cuius fruitionem natura individua mouemur, quæ est cuiq; propria. Tertium pulchrum est, quod utraq; ex parte pulchrũ est, & hoc est id omne quod in re pulchra præparationes habet, & in nobis omnibus, uel pluribus naturalem proprietatem, qua ad illius fruitionem rapimur. Tale pulchrum dixit Hippias esse uirginem pulchram, quando uidelicet consensu omnium, uel plurium censetur pulchra. Hoc pacto, ni fallor, tu Ioanna illustrissima pulchra uideris: in te enim gratia duplicem præparationem habet, in animo morum concinnitatem, in corpore formam: ex parte nostra omnium consensus est, ut in pulchritudine omnes excedas: tanta est enim in te gratia, ut nemo sit, cuius anima non rapiatur ad tui diuinam fruitionem.

Quid puella simpliciter pulchra sit, quæue differentia inter fruitionem, & usum, & inter humanum, ac ferinum amorem, & quæ pulchritudo in puella magis laudetur. CAP. XLIX.

EX ijs, quæ modo diximus, non erit difficile concludere, quæ puella simpliciter pulchra sit. est enim ea cuius gratia hominum omnium, uel plurium animas communi quodam consensu instigante ad sui fruitionem rapit, ui scilicet suæ formæ, atq; morum concinnitatis. non enim esse potest puella omni ex parte pulchra, nisi individuarum idiotropiarum, quæ in nobis sunt, communi quodam consensu animas omnium nostrum, uel plurium rapiat: nisi enim, ut diximus, individuæ idiotropiæ concordi quadam ratione alicui puellæ ad desiderium fruendi conuenerint, non poterit ex parte nostra omnino pulchra dici. Nam si unius hominis animam rapuerit, non simpli-

citer

citer pulchra, sed ei tantum, cuius animã mouerit pulchra erit. Quare si omnium animas communi quodam consensu admodum alliciente, uel plurium, simpliciter pulchra est dicenda. Vi autem suæ formæ morumq; concinnitatis adiecimus, quoniam nisi gratia in puella utranque præparationem habuerit, ex parte sua simpliciter pulchra nunquam dici poterit. Diximus autem ad desiderium suæ fruitionis, non autem sui usus. Nam licet usus & fruitio interdum confundantur, interdum uerò uti mortalium, frui autem diuinarum rerum sit, ut Aurelius inquit: tamen per frui id intelligo, quod Petrus Lombardus Aurelij autoritatibus uoluit esse intelligendum: ut sit frui, amori inhærere propter seipsum tantum: in hoc enim tria sunt, amantis acceptatio, in re ipsa accepta delectatio, & in huiusmodi rei acceptæ delectatione quies. Hoc pacto homines pulchris frui uidentur: eis enim fruẽdo, res ipsas pulchras acceptãt, & in acceptationibus delectantur, & in delectationibus quiescũt, nihil præter has desiderãtes. feræ autẽ nõ sic sensibilibus frui possunt: quærũt enim in ipsis aliquid præter uoluptificas sensationes, ut cibos, uel generationẽ similis, & ideo in sensibilibus ipsis nec pulchra agnoscũt, nec eis fruũtur. Ãt uti est in re accepta uoluptatẽ, & in uoluptate aliquid ultrà quærere. Hac ratioe, ut Platonice loquar, differt amor, quo homo desiderat pulchra, & ferina concupiscẽtia, qua feræ fœminas cocupiscunt. Nam humanus amor est desiderium fruendi pulchri propter uoluptatem tantum, ferina uerò ipsa concupiscẽtia propter generationem sui similis. Hinc fit, ut usus animalium, quo fœminis utuntur, non sit absque concubitu. Frui uerò quo homines pulchris fruuntur, ut Platonici autumant, absque con-

cubitu: aut, ut breuioribus utar, fruitio, & uoluptas differunt. nam uoluptas est perfectio operationis, fruitio uerò est quies in ea eousq;, quousq; operatio illa delectat. Vti autem non differt ab ipso frui, nisi quia communius est. Verum de his diligentius postea. Erit igitur in homine duplex amor apud Platonicos: humanus, qui etiam moralis dici potest: quoniam in sola illa uidendi, audiendi, olfaciendi, atque tangendi oblectatione perficitur absque ueneris usu, atq; concubitu: in hac enim sola remanet oblectatione, nec ultrà descendit. Et ferinus, qui ultra huiusmodi oblectationem descendit in uenereum ipsum usum: quoniam non solum delectationem, sed generationẽ quærit homo. Primus amor actiui, atq; morati hominis, secundus uoluptarij atq; ferini est: potest enim moratus homo puellæ pulchritudine per sensus omnes frui, nihil ultrà fruitionem, atq; oblectationem quærẽdo, quemadmodum per uisum solum cœli ornamento, & per auditum uocum harmonia, nihil præter uoluptatem desiderans. Si enim ultrà descendit, non humanus, sed ferinus amor erit. Vtrum uerò amans puella amata frui possit per quinque sensus absque ueneris appetitu, posterius disputabimus: nunc uerò hæc pro Platonicorum opinione dicta sint. Sed quoniam in pulchra ipsa puella quæ omni ex parte pulchra censetur, duplex est præparatio disponens ad gratiam, illa magis laudatur, quæ animos magis mouet, rapitque. Talis est morum concinnitas, quam Aristoteles secundo Oeconomicorum tradit, cum inquit, Nec uestimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo tantum ualet ad mulieris laudem, quantum modestia in rebus, ac studium honeste, decore uiuendi. ubi perspicuum, eam pul-

chritudinem

chritudinem in puella esse magis laude dignam, quæ animi, morumq; cõcinnitas dicitur, quam modestiam, ac studium honeste, decoreq; uiuendi appellauit Aristoteles.

Corporeas uoluptates, quæ in usu uenereo sunt, non esse optimas, eas uerò, quæ in pulchri fruitionibus consistunt, optimis aut similes, aut easdem esse. CAP. L.

EX ijs, quæ dilucidauimus, perspicuum eas uoluptates, quæ corporeæ sunt, non esse optimas: eas uerò, quæ in pulchri fruitionibus consistunt, esse optimas, aut optimis similes: nam uoluptates non una ratione habẽtur: sunt enim, ut Aristoteles inquit septimo Ethicorũ, nonnullæ incorporeæ, & de his ea uoluptas est, in qua felicitas habetur: sunt enim propter se expetendæ: non enim ob aliud quæruntur, quàm propter se: aliæ uero sunt corporeæ, ut quæ in uenereis cibis, potibusq; collocantur, & hæ non propter se, sed ut medelæ affectuum, passionumq; quibus angimur, expetuntur: nemo enim delectabitur in cibis, aut potibus, aut uenereis, nisi fame, uel siti aut ferina concupiscentia laborauerit. Expetitur itaq; cibus, ut medela famis: potus uerò, ut medela sitis: Venus autem ut medela ferini, quo laboramus, amoris: fruitiones uerò rerum pulchrarum, licet primo aspectu amorum medelæ uideantur, tamen aut sunt optimæ, aut optimis proximæ, uel similes. Sunt enim sine dolore, quemadmodum quæ optimæ: non enim dolore aliquo afficitur, qui per uisum uel auditum, uel cæteros sensus pulchro fruitur: qui uerò cibis, potibus ac uenereis utuntur, adeo laborant interdum, ut in sæuos morbos sæpius incidant. Sed cur multis corporeæ ipsæ uoluptates expetendæ magis sint, non est parua quæstio.

ua quæstio. Nam cũ incorporeæ sint simpliciter bonæ, corporeæ autem bonæ, modo quo medelæ bonæ, uidentur incorporeæ expetendæ magis. Aristoteles Philosophorum monarcha libro Ethicorum septimo causam ex eo assignauit: quia corporeæ uoluptates pellunt dolorem, qui uehemens est. At medela magis expetenda est, quæ uehementiori morbo opitulatur. Quare cum corporeæ ipsæ uoluptates uehementiorum passionum medelæ sint, fit, ut multo magis hæ uoluptates, atque ardentius expetantur illis, quæ non ut medelæ, sed propter se tantum desiderantur.

Non semper eiusdem pulchri fruitionem nos delectare. CAP. LI.

CVr uerò nõ semper eiusdem pulchri fruitio nos oblectet, eodem libro Aristoteles Philosophorum longe princeps causam ex eo tradit: quoniã nostra natura non est simplex, nec semper eadem, quinimmo quæ mane est, altera est ab ea, quæ uespere erit. Cum uerò natura multifariam uaria fuerit, alia atque alia idiotropia, indiuidualiq; complexione afficietur. Quo fit, ut aliud, atque aliud inde desiderium surgat: quippe cum, ut superius diximus, desiderium pro uariatione complexionis uarietur: alia enim ægroti, alia sani hominis appetitio est, quoniam indiuiduæ complexio alia. Sed quoniam Deus simplex ab uariatione omni penitus abiunctus est, fit, ut semper una, atque simplici gaudeat uoluptate, eiusdemq; pulchri fruitione: ex hac insuper causa proficiscitur, ut uarietas in fruendis pulchris sit iucundissima ob naturæ humanæ quandam ingenitam prauitatem. Quemadmodum enim homo ex usu prauus prauorum mutatione gaudet, sic humana natura, quæ sui innata uariatione praua admodum est, uariatione

eorum,

eorum, quibus fruitur, gaudere uidetur: simile siquidem simili semper natura delectatur: quiescit enim in uno humana natura nunquam, quia coœua, atque naturalis est ei carentia: cum enim tolli non possit ab humana natura carentia, in nullo quiescere ipsa potest, quin ipsa semper careat.

Pulchri fruendi desiderium diutius permanere, eo ferino amore, qui est utendi. CAP. LII.

NEc erit ex his, quæ diximus, difficile assignare causam, cur pulchri fruendi desiderium diutius permaneat eo ferino amore, qui est utendi: dicimus enim in pulchro duplicem præparationem: alteram ex parte animi, & est morum concinnitas: alteram ex parte corporis, & est forma spectabilis. Sicut igitur amicitia, quam fouet honestum, maxima est, atq; permanẽtior, ut inquit Aristoteles octauo Ethicorum: ita amor, quem seruat forma, quæ morum concinnitati coniungitur: hæc enim pulchritudo propter se expetitur, quæ uerò coniungitur animi uitijs, non propter se, sed ob usum ueneris, quæ cum ætate tandem pertransit.

Amorem perfectum non esse plurium simul. CAP. LII.

POteris etiam ex ijs causam afferre, cur perfectus amor ardentissimusq; plurium esse nequeat. Aristoteles enim perfectum amorem, ac ardentem perfectæ amicitiæ comparauit. pluribus uerò esse amicum simul non datur. nec est bonum, quare nec plurium amantem esse decet. Deinde ardens amor exuperationi est similis, exuperatio autem uni soli conuenit: non igitur amor, qui excessus est quidam desiderij, plurium esse poterit. Postremo accedit,

accedit, quòd plures eidem ardenter placere non facile sit.

Amari ei puellæ iucundum esse, quæ amatur. CAP. LIII.

QVòd uerò amari ei puellæ iucundum sit, quæ amatur, ea ratione probat, quoniam cum amatur, imaginatio fit, quòd bonum ei insit, quod qui sentiunt, ut Aristoteles inquit primo Rhetoricorum, omnes cupiunt. Præterea honorari, atq; admirari iucundissima sunt, cuius rei argumento nobis sunt assentatores, quibus perlibenter aures præbemus: quia nos honorare, atq; admirari uidentur. Qui uerò amant, honorant, ac admirantur. Quare fit, ut amari iucundum sit puellis. Sunt nobis in re hac signo adulatores, qui nobis periucundi sunt, quoniam amare uidentur. Insuper unumquodq; natura amat se, appetit enim unumquodque sui conseruationem natura. At si puella sui natura amat se, sui etiam natura amabit cuncta, quæ eam in optimo statu seruabunt. Talia sunt bona, honesta, uoluptifica, atq; utilia: his enim omnibus, uel pluribus puella in optimo statu seruatur. Quare amabit natura illos qui hæc omnia, uel plura ei uolunt & ferunt. Sunt autem qui ei hæc uolunt & ferunt amantes. Quare puella amata suapte natura eos redamabit, qui eam amant, modo ex aliquo accidente contrarium non emerserit. Verum de his postea.

Puellam longe magis gaudere, quia amatur, quàm quia amat. CAP. LIIII.

QVibus etiam dilucidum erit, puellam longe magis gaudere, cum amari se senserit, præsertim à laudatis uiris, quàm cum amat. cum enim amari se nouerit, honorari quoque ab amante censet. At unusquisque longe magis

magis gaudet honore sibi tributo, quàm ea honoratione, quam alteri exhibet. Quare puella omnis longe magis gaudet cum senserit se amari potissimum à uiris laude dignis, quàm cum amat.

Non posse puellam amari, quin amet, potissimum cum à laudatis uiris se amari nouerit. CAP. LV.

INsuper ex ijs quæ diximus nemo dubitare debet, puellam amari non posse, quin amet, præsertim si à uiris laudatis senserit se amari: nec nos amare puellam posse, quin ab ea amemur, modo inter amatam, & amantem symbolum quoddam affuerit, atq; similitudinis ratio: Nam ut eodem libro Aristoteles inquit, amare est aut honorem exhibere, aut non absq; honoratione: non enim esse potest quispiam amans, quin puellæ amatæ honores exhibeat. Quare sicuti puella honore sibi tributo gaudet, præsertim à uiris laudatis: propterea quia confirmare opinionem eam cognoscit, quam de se affectat: ita quoque amore quo ab eis diligi se sentit. Quare cum ipsa amore sibi exhibito gaudet, amante etiam gaudere necesse est. At gaudium amor quidam est. Non igitur amari poterit, quin amet, præsertim cum à laudatis uiris se amari senserit. Præterea unusquisque naturali desiderio seipsum amat, ut diximus: nam desiderio naturali unusquisque appetit sui ipsius conseruationem, & sibiipsi bonum. Quòd si omnes naturali desiderio seipsos amant, eos etiam amare coguntur, qui nos amant, & bonum uolunt, modo crediderimus ab illis, & uoluptatem, & honorem nos reportare posse: à multis enim puellæ amantur, è quibus qui honores, uel uoluptatem se reportare posse non existimant,

eos

eos nequaquam redamant. Hinc patet fieri non posse nos amare, quin amemur: si enim assentatores amamus, qui amare nos simulant (est enim assentator amicus fictus) necessario eos amare compellemur, quos uere nos amare crediderimus. Sicuti enim naturale est, unumquenque seipsum amare: sic nobis naturale erit, eos omnes amare, è quibus & amari, & uoluptatem, aut honorem reportare putauerimus. Quod si occurret, puellas nonnullas aliquando eos odio persequi, à quibus amantur: facile dicemus, puellas per se amari nõ posse, quin redament: ex accidente tamen possunt eos odio persequi, à quibus amantur: ut puta, cum senserint se ab eis iniuriam magis aut dolorem, quam honorem uel uoluptatẽ reportare. Aut melius dicendum, fieri non posse, ut puellæ non redament, cum amari se ab amantibus omnino arbitrentur, amore (ut ita dixerim) naturali, aut cõcupiscentiæ, amore autem iudicij uel beneuolentiæ redamare non cogentur. Est autem amor concupiscentiæ affectus appetitus sensitiui. Amor autẽ beneuolentiæ est iudicium quoddam sequens electionem, quo alicui bona uolumus.

Desideretne puella deformis amari magis, an pulchra. CAP. LVI.

INter amatorias quæstiones illa primo quæri solet, Cum puellæ omnes, cum amantur, redamare coguntur, utrũ puella deformis amari magis quàm pulchra desideret. Est enim quæstio pro utraque parte ambigua: nam cum desiderium à carentia proficiscatur, & deformis minus amari quàm pulchra soleat, uidetur amandi ab amantibus desiderio longe magis, quàm pulchra affici, quæ à pluribus, & sæpius amatur. Deinde Deus, & natura nihil frustra facit.

facit. Quare ſicuti fruſtra eſſet calceus, quo nullus pes calciaretur, fruſtra quoq; erit puellæ pulchritudo, quæ facta eſt ut ametur, ſi à pluribus, & ſæpius non ametur. Quare natura inſtituente pulchra longe magis appetit, quàm deformis amari. fortaſſe cum triplex amor ſit: & naturalis, qui eſt inclinatio quædam, qua imperfectum tendit in ſui perfectionem: & animalis, quem concupiſcentiæ dicunt: & beneuolentiæ, qui naſcitur ab electione. Deformis amore natiuo amari magis, quàm pulchra deſiderare uidetur, quippe cum ex tali amore tendat in ſui perfectionem: eſt enim ob deformitatem imperfecta, quare & longe magis, quàm pulchra perfectionem deſiderans: pulchra uero amore concupiſcentiæ longe magis, quàm deformis: habet enim pulchritudinem ſibi à natura tributam propter concupiſcentiam. Appetitu uero beneuolentiæ interdum deformis, nonnunquam pulchra amari magis deſiderat, quatenus nunc hæc, nunc uero illa melius, uel peius aſſueſcere à cunabulis per pædagogos aſſueuit.

Sítne pulchra natura continentior quàm turpis. CAP. LVII.

DVbitarunt etiam, ſítne pulchra natura continentior, an turpis. Dixerunt nonnulli, qui Platonem ſectantur, à Deo eſſe in puellis pulchrum: pulchri autem centrum bonitas, ac uirtus eſt, quippe cum pulchrum Plato circulo ſimile eſſe aſſerat, cuius centrum, ut diximus, bonitas eſt, & probitas. Deinde turpe plerunq; improbitas comitatur, ergo pulchrum probitas. Phiſionomi enim tradunt in cõtorto corpore perraro rectam animam habitare poſſe. Quare in pulchro, rectoq; plerunq; rectam, probamq;. huic rei aſtipulãtur arbores, quare florum pulchri-

tudo testatur fructuum bonitatem: in mutis quoq; animalibus cernimus ea, quæ pulchra sunt plerunque bona esse: quæ uero deformia, mala, ut in equis, canibus, auibus, cæterisq; id genus. Postea in rebus fere omnibus quæ sunt natura, uidemus eas, quæ pulchræ sunt, bonas esse, ut cœlum, quia pulchrum est, bonum censetur. Cur igitur homo si pulcher fuerit, non erit probus? est enim homo mundus paruus. nec solum in rebus naturalibus, sed in arte confectis idem cernitur. Nauis enim, quæ pulchra est, bona censetur, domus, statua, & cætera id genus similiter. Qua ratione fit, ut puellæ quo pulchriores, eo probiores censendæ sint. Quòd si Poëtæ scribant raram esse concordiam formæ, atq; pudicitiæ, ut Iuuenalis, & Ouidius tradiderunt: fortasse hoc non natura, sed educatione fit, aut accidente, ut paupertate, amantium frequentia, ac continua uexatione: insuper & locorum oportunitate, & id genus. & licet pulchritudinis amore & concupiscentiæ puella pulchra amari magis, quàm turpis desideret, ui autem naturæ, quæ complexio est, temperantior, continentior, atq; moratior est.

Aspectum esse amantibus amabilissimum. CAP. LVIII.

QVòd uero amantibus uidere puellas, quas amant, amabilissimum sit, ex eo probauit Aristoteles omnium philosophorum magister libro Ethicorum nono, quoniam per sensum uisum maxime est atq; oritur amor: gignitur enim amor ex pulchro agnito, cum sit aliud nihil, ut sæpe diximus, quàm desiderium fruendi pulchri: quare quemadmodum amici in mutuo conuictu potissimum gaudent, ita quoq; amantes in mutuo aspectu: unde & primo

libro

libro de partibus animalium asserit ita esse de puellis, ut de superis ipsis, ac diuinis substantijs: nam quemadmodum cum superas illas substantias attingimus, licet eas leuiter attingamus, ob eius tamen cognoscendi generis excellentiam amplius oblectamur, quàm cum nobis iuncta omnia tenemus, ita quamlibet partem, minimamq; nostrarum puellæ deliciarum uiderimus, gratius erit, ac iucundius, quàm si perspexerimus cæterorum hominum membra tota: per quæ declarauit nihil esse amantibus gratius aspectu, præsertim cum mutuus fuerit.

Amorem non semper à uisu oriri. CAP. LIX.

MAgna addubitatio est, possitne quis amore capi ab ea puella quam nec uiderat, nec loqui audierat. Philostratus in suis Heroibus asserit, Poëtas uelle amorem primum à puellæ uisu proficisci, seruari uero post illius idolum ab ea animæ uirtute, quam philosophi memoriam uocant, per imaginationem autem sæpe reuideri, atq; recognosci, & ex ea recognita angi, affligi, noctu, diuq; uexari. Sunt tamen exempla huic opinioni contraria, præsertim Aurelio asserente, inuisa atque inaudita amari, atque diligi posse, incognita uero haudquaquam. Achilles enim, ut quidam aiunt, qui Troiæ aderat, & Helena, quæ in Aegypto manebat, absq; mutuo aspectu se perdite adamarunt: sola enim hinc inde narratione audita se inuicem deperierunt. Non multis annis ante nos Rudelsus Blaiæ dominus Comitissam, quæ Tripoli imperitabat, suæ pulchritudinis fama per eos peregrinos delata, qui ex Antiochia redibant, summopere deperiuit: qui illius amore exardens in Tripolim adnauigauit, ut eius, quam audierat, pulchritudine frueretur. captus uero in itinere à sæua ægritudi-

ne cum tantundem ad eam peruenisset Deo gratias agens, quòd tantum numen uidere sibi concessisset: in illius puellæ brachijs non absq; animi utriusq; mœrore è uita excessit. nec ab ratione est, quod hi opinantur: si enim amor desiderium fruendi pulchri est, & potest quis inuisum pulchrum desiderare, ut eo fruatur, fit, ut inuisa, atq; inaudita interdum ui famæ amentur. Aristoteles etiam Ethicorum octauo asserit posse nonnunquam inter aliquos, qui sese nũquam uiderint, mutuam esse beneuolentiam, licet non amicitiam. Quare & mutuus amor. hunc in modum, ut quidam uolunt, Paris classem instruxit, Spartãq; uisendæ Helenæ pulchritudinis causa appulit. Verum si res hæc ita est, amor, qui post aspectum nascitur, longe feruẽtior esse solet eo, qui fama duntaxat exoritur, modo præsentia famam non minuat, & gratia, quæ ex uisa pulchritudine proficiscitur, non occurset.

De ætate pulchritudinis. CAP. LX.

QVæ uero ætas pulchritudini magis idonea sit, nondum exploratum est. Hippias uiridem iuuentam autumat, cum uirginem pulchrum ipsum esse affirmarit: cui & Aristoteles fauere uidetur in flore ætatis pulchritudinem pullulare asserens. Verum omnis ætas pulchritudini apta est. si mulier mulieribus comparetur, quæ suæ ætatis sunt, non desunt, qui arbitrantur, gratiam, quæ ex pulchro exoritur, iuuentæ maximopere idoneam esse, morum uero concinnitatem, quæ est animi pulchritudo, ipsi senectæ conuenire: aut fortasse pulchritudini, quæ animi concinnitas est, ut diximus, omnis ætas idonea est, etsi gratiosior ei sit iuuenta: formæ autem sola uiridis ætas, quod Hippias, & Aristoteles probarunt.

Quod

Quòd qui amore alicuius exardet, semper sit in eo. CAP. LXI.

QVoniam autem altera uoluptas cum in excessu fuerit, alteram prohibet (qui enim fistulis delectantur, nequeunt mentem sermonibus adhibere, si quempiam audierint modulantẽ, magis modulatione gaudentes, quàm operatione præsenti) hoc idem, ut Aristoteles decimo Ethicorum inquit, & in cæteris usu uenit, cum circa duo simul quispiam operatur: operatio enim iucundior alteram excludit, & quæ maiore uoluptate præcellit, longe magis prohibet, atq; remittit alterũ, atq; adeo, ut neq; operetur per illam. Quocirca cum uehementer aliqua re gaudemus, non ualde aliud agimus, & alia facimus, cum parum nobis alia placent. Quare & in affectibus simili ratione, qui amat uix aliud facere poterit, amore, qui est pulchri fruendi desiderium, cætera prohibente, atq; excludente, ut sit uerum illud Poëtæ,

Et si quid faciam nunc quoq; quæris, amo.

In animalibus mutis eam fœminam, quæ unius animalis animam rapit ad sui usum, omnes, quæ in eodem genere sunt, rapere, non ita in hominibus eandem puellam. CAP. LXII.

NOn erit autem difficile declarare, cur in multis animalibus ea fœmina, quæ unius animalis animam rapit ad sui usum, omnium in eodẽ genere animas rapiat: non ita in hominibus eadem puella: nam cuique animali propria uoluptas est, sicut & opus, ut decimo Ethicorum Aristoteles sapientum magister tradit. Alia nanq; Equi uoluptas est, alia Canis, alia Hominis, quemadmodum & Heraclitus dicit, Asinũ stramina magis optare, quàm

aurum. Asinis enim pabulum auro iucundius est. Variant autem non parum in hominibus, eadem enim alios dolore afficiunt, alios delectant. hoc & in dulcibus accidit: non enim eadem dulcia febricitanti, atque sano uidentur. Huius rei causa est, quoniam uoluptates aliorum animalium naturalem inclinationem sequuntur, quæ in eadem specie bona est: hominum uero uoluptates, rationem, quæ non ad unum determinatur: & per rationem intelligendum est, siue ueram, siue hallucinatam, quod Horatius nõ ignorauit, cum dixit, Nec uelle cuiquam esse unum, nec uotum, quippe cum hominum species sint mille, & usus earum discolor. Cum igitur in mutis ipsis animalibus nulla sit ratio nec uera, nec hallucinata, sed appetitio eadem, ceu anima eadem, sit, ut in ipsis ea fœmina, quæ unius animalis animam rapit ad sui usum, omnium animas rapiat: secus in hominibus, ubi rationes saltem hallucinatæ uariant.

Perfectam pulchræ puellæ fruitionem absq; tactu, gustu, atq; olfactu non esse. CAP. LXIII.

QVoniam fruitio pulchri est finis amoris humani, cum amor humanus, ut superius diximus, fruendi pulchri desiderium sit: ideo addubitatum est, sitne perfecta pulchræ puellæ fruitio, absque tactu, gustu, & olfactu, an imperfecta. Plato asserit per tres animæ partes pulchrum animos rapere, per uisum uidelicet, aut per auditum, aut per mentem, aut per has omnes, uel plures. Quare propter hæc perfectam esse pulchræ puellæ fruitionem non dubitat sine tactu, olfactu, & gustu, cum nec in tactilibus, nec in olfactilibus, nec in gustatilibus pulchri ratio spectetur: quam partem diuinus ille Thomas Latij

decus

decus in his commentarijs, quæ in libro Ethicorum scripsit, probauit ex eo, quia finis amoris est in his habendus, in quibus est initium, amorque ipse. At constat amoris initium, amoremque ipsum in uisibilibus, atque auditilibus, & intellectualibus esse: sit, ut in his finis sit habendus, quæ est pulchri fruitio. Nos uero arbitramur pulchræ puellæ fruitionem, cui nihil humani desiderij deest, quo humanum desiderium est, perfectam esse non posse, nisi anima quæ rapta est ab ipsius puellæ pulchritudine, in qua omnis præparatio ad gratiam suscipiendam est, per eos omnes sensus ea fruatur, per quot omnis præparatio agnoscitur. et quoniam, ut diximus superius, per olfactum, gustum & tactum in ea cognoscit rationes pulchri: per olfactum enim suauitas in odore: per gustum autem dulcedo in labellis, lingua & ore: per tactum uero lenitas carnis percipitur, quas muta animalia in suis fœminis nequaquam sentiunt. Præterea, ut superius diximus, sine his nulla puella omni ex parte pulchra est censenda. quis enim iudicabit eam pulchram omni ex parte, si eius caro insuauis, si dura, si aspera sit? insuper si caro, & os fœtorem exhalarint, si os, lingua, labella insipida fuerint? Quare cum in his turpis ratio habeatur, cur in suauitate, mollitie, lenitate, & partium odore atque dulcedine Pulchrum habendum non est? Quòd autem ita sit, puellæ ipsæ nobis signo sunt, quæ ut pulchriores reddamur, odoribus, unguentis rebusque odoriferis se illinunt, lauacris quoque quæ carnes abstergunt, se lauant ac leniunt, labella, os, linguam dulci sapore afficiunt. Diximus, cui nihil deest, quo humanum desiderium est: quoniam quo amor ferinus est, nisi ad usum ueneris defluat, quiescit nun-

quam: quo uero amor humanus est, ac humanum moraleq; & rationale pulchri fruendi desiderium non ultro proficiscitur, nisi quousq; homini seruet sui propriam rationem, at cum in usum uenerit, in ferinam labitur uoluptatem. In quibus uero anima solum per uisum percipit pulchrum, ut in ædificijs, statuis, cæterisq; id genus, in his fruitio per solum uisum perfecta omni ex parte esse poterit. Simili modo in quibus per auditum, ut in uocibus, orationibus, cæterisque talibus solum per auditum. Sed quoniam in puella pulchrum anima percipit per uisum, auditum, olfactum, ac tactum solo gustu excepto, si fuerit ipsa simpliciter, omniq; ex parte pulchra, per quæ ferina anima in nulla suarum fœminarum percipere potest, fit, ut rapiatur ad fruendam puellam per omnes huiusmodi sensus. Quare perfecta pulchri fruitio, quod per huiusmodi sensus omnes animam rapit, absq; tactu, & olfactu non est, nec esse poterit. Vtrum uero fruitio pulchri esse possit, & amor sine appetitu ueneris, postea differendum.

De pudore, in quo animi pulchritudo pro magna sui parte habetur in puellis, quæ omnino atque simpliciter pulchræ sunt. CAP. LXV.

QVoniam, ut diximus, gratiæ quæ pulchritudo est, præparationem potissimam habet in morum concinnitate, cuius una pars est pudor, ideo de pudore differendum, quippe cum sapientes de ea uaria sentiant. Academici tradiderunt, pudorem moderatorem esse optimum cupiditatum, ne audeat quispiam cuiquam aut dicto proteruo, aut facto improbo nocere: hæc nanque perfacilis ratio est conciliandæ hominum gratiæ, & promerendi amoris. Stoici uero, ut Gellius inquit, pudorem ignominiæ metum

metum esse definierunt: & primas quidem ætates ualde addecet, optimæq; indolis signũ præbet: intimo enim sanguini animus reuerentia quadam affectus mergitur, & faciẽ rubore perfundit. His adulescentibus Cato maior se delectari aiebat, qui minima quæq; errata metuẽtes etiã in recte factis erubescerent, non autem illis, qui pallescerent: illud quidem ingenui pudoris indicium esse, hoc autem impudentiæ aut uecordiæ. Idem sentire uisus est Diogenes Cynicus: nam cum adulescentem quendam alloqueretur, cerneretq; eum rubore perfusum, confide ait, color enim iste uirtutis est index. Pythias Aristotelis filia rogata quem pulcherrimum iudicaret colorem pro facie ornanda, qui, inquit, ex pudore oritur. Hunc affectũ quidam castigatius loquentes uerecundiam appellant, ut ambiguitatem uerborum fugiãt, & pro uirtute semper eam ponunt, cum pudor etiam in malefactis quandoq; dicatur. Verecundia autem recti honestiq; rationẽ habet. Alij uerò pudorẽ à uerecũdia sic separãt, ut pudor sit rei turpiter actæ, uerecũdia etiam recte facti, atq; honesti. Sed Aristoteles quarto Ethicorũ libro uerecũdiam ait timorem quendam esse de decoris: hanc fieri asserit propè similiter, ac timorẽ in rebus grauibus: nam qui uerecũdantur, erubescunt: qui uerò mortẽ timẽt, pallescunt: quod cum utrũq; ad corpus accõmodetur, fit, ut utrũq; magis ad affectũ, quàm ad habitũ uideatur pertinere. Nõ autẽ ad quamuis ætatem is affectus, sed ad iuuenilem accõmodatur: putamus enim eos qui huius ætatis sunt, uerecũdos esse oportere, ut cum non sine perturbatione uiuãt, multumq; ob hoc peccent, à uerecũdia prohibeantur delinquere. Quare iuuenes uerecundi laude digni sunt. Sed nemo ex eo seniorem hominẽ laudabit

dabit, quia est uerecundus: nihil enim eorum ipsum oportere censemus agere, pro quibus emergere uerecundia solet. neq; enim homini probo uerecundia competit: quippe cum pro rebus improbis fiat, nõ sunt res tales agendæ. Alij tradunt uerecũdiam esse ingenuum quẽdam pudorẽ, quo perciti etiam recta & honesta agere erubescimus. & licet pudor ac uerecũdia similitudine quadam teneri uideãtur, aliquantulum tamen inter se differunt: est enim pudor timor quidam iustæ reprehensionis, uerecundia autem aspectum honesti uiri, uel cõiunctæ multitudinis, in rectis etiã actionibus uereatur: proinde custos decori esse uidetur, atq; honesti cõsilij mater. Nam qui bene agere studet, nihil magis uereatur, quàm ne quid indecore agat. Iccirco uerecundia artifex effectrixq; diligẽtiæ esse dicitur: nõ enim tantũ nequid peccet cauet, sed ut honeste decoreq; agat omni studio, omniq; diligentia nititur. Protagoras apud Platonem ait mortalibus, qui ut ferarum uires uitarent, urbes condere atq; in unum conuenire cœperant, Iouem Mercurium misisse cum iustitia & pudore: rogatus uerò à Mercurio num esset utrũq; hominibus omnibus traditurus, omnibus inquit: omnes siquidem horum participes esse debent. Multa sunt exempla Romanorum, aliarumq; gentium, quibus manifeste patet, pudorẽ res profligatas restituisse, & prostratos exercitus ad uictoriam erexisse, atq; horrenda multa prohibuisse. Iulij Cæsaris exercitũ ad Cordubam contra Pompeium iuniorem perterrefactum iam & de fuga magis quàm de pugna meditãtem pudor restituit, cum milites omnes audiuissent Cæsarẽ exclamantẽ, Hic dies mihi finis uitæ erit, & militiæ uestræ ultimus: quibus dictis clypeũ obuij militis arripuit: solusq; hostes inuasit

ſit locoq́; pepulit, ac perturbauit: & ducẽta circiter tela in ſe miſſa partim audaciter euitauit, partim ſcuto excepit: quo pudore accenſi ac perciti milites, tanto impetu in hoſtem feruntur, ut Pompeium cum uniuerſo exercitu in fugam compulerint: Ducesq́; eius capta Corduba in quã confugerant, magna ex parte cæſi ſunt, & eorum capita ad Cæſarem perlata: ipſe autem Pompeius inter dumos ac uepres latitans deprehenſus, cæſusq́; eſt: caput quoq; eius ad Cæſarem perlatum: quod quidem honeſte ſepeliri iußit. Bellum igitur formidoloſum admodum pudoris uirtute profligatum ac confectum eſt, & integram uictoriam Cæſari præbuit. Perſæ mulieres, quibus ob pudorem nec uomere coram alio, nec urinam facere licebat, fugientibus filijs, pudenda illis nuda oſtenderunt, atque Vultis, dixerunt, huc repetere fugientes? eaq́; re permoti pudentesq́; reuerſi hoſtes fugarunt. Socrates cum quendam audiſſet, illoto ore loquentem, caput ſibi chlamyde adoperuiſſe fertur, donec ille peroraſſet. ut ſit pudor uerborum optimus moderator, ut neque dicamus quæ turpia dicta ſunt, neq; eadem, ſi ab alio dicta fuerint, libenter audiamus. Quare uera eſt ſententia Valerij, aſſerentis uerecundiam eſſe omnis honeſti conſilij parentem ſolennium officiorum tutelam, innocẽtiæ magiſtram, charam proximis, acceptam alienis, omni tempore, omni loco fauorabilem præ ſe ferentem uultum.

Exempla mulierum, quę ob pudorem celebres habitæ ſunt. CAP. LXVI.

NEc deſunt exempla præſtantiſſimarũ mulierũ, quæ ob pudoris pulchritudinẽ celeberrimæ habitæ ſunt.

Mileſiæ

Mileſiæ uirgines, cum ſine ulla euidenti cauſa uoluntariam mortem ſubirent, plurimæq; ſuſpendio uitam finirent, nullo potuerunt remedio à propoſito diſcedere: decreuerũt tãdem Mileſij, ut uirgines quæ ſuſpenſis corporibus demortuæ forent, hæ omnes nudæ cum eodem laqueo efferentur præcinctæ: poſt id decretum pudore ſolo deterritas deinde abſtinuiſſe aiunt. Coluiſſe ſe pudorem non ſine magna laude oſtendit Panthei Lacedæmonij uxor: nam uirum ſecuta in Aegyptum, quò is cum Cleomene ſe receperat, poſt uiri mortem cum Ptolemæus ipſam quoque cum cæteris Lacænis, quæ illic erant, occidi iuſſiſſet, priusquã occideretur, ueſtem diligenter pedibus obuoluit omnemq; aliam corporis partem texit nudo iugulo relicto, ut honeſte cadens pudorem, quem per omnem uitam ſeruauerat, inuiolatum relinqueret. Olympia quoque Alexandri magni mater, cum eam Caſſander interimi iuſſiſſet, diligenter cauit, ne cadens in morte aliquam corporis partem detegeret, quæ celãda pro matronali pudore uideretur. Virgo quædam Aegyptia Alexãdrina, cum aſpectu decoro eſſet, ueteri tumulo ſe incluſit, illicq; XII. continuos egit annos, per paruum foramẽ cibo, cæterisq; neceſſarijs acceptis: rogata autem quamobrem his tenebris ſe damnaſſet, reſpondit cognouiſſe ſe ſui amore iuuenem exarſiſſe, & ne ei ultrà, aut alteri huiuſmodi flammis animum incenderet, tumuli carcerem pro remedio delegiſſe: quæ tanto Spurinæ pudorẽ, de quo apud Valerium, ſuperauit, quanto ipſius ſexus fragilior erat. Non minus cuſtodiendi pudoris ſtudioſam Martia quoq; Varronis filia ſe oſtendit: nam cum uirginitatis candorẽ illæſum ſeruaret, & ſcalpendi, pingendiq; ars inſignis haberetur: quia ea ætate

ſtatuæ

ſtatuæ, imagineſq; plerunq; nudæ fingebantur, ipſa præ pudore ne in uiris pudenda exprimeret, aut ob id imperfectum opus relinqueret, effingenda uirili figura ſemper abſtinuit.

De pudicitia, in qua etiam animi pulchritudo in puellis pro magna ſui parte habetur. CAP. LXVII.

NVnc de pudicitia, in qua ſumma mulierum gratia, atque pulchritudo reſidet, diſſerendum. Nam ſunt qui pudorem à pudicitia ſic ſecernãt, quòd ille uerborum, hæc autem actionum ſit: & ad hanc ſententiam uerba illa Ciceronis interpretantur, cum in Antonium ait, Tu quidem pudorem cum pudicitia ſimul amiſiſti. Alij tradunt pudicitiam eſſe caſtitatis ſpeciem, quæ ſolum ab iniuria turpium libidinum uendicet: quod Mantuana camæna docuit, cum ait, Caſta pudicitiam ſeruat domus. quaſi dicat, caſtigata incorruptaq; domus etiam pudicitiam ſeruat. Verũ quicquid de pudicitia ipſa tradatur, ea tamen uirtus eſt, quæ uera ornamenta fœminarum facit, quæque nullo auro, nullis gemmis aut margaritis comparari poteſt. Maleolentis cœni putor nullo odore uincitur: nec unguento indigent qui per ſeſe bene olent. Atqui quando quidem non omnia in optima etiam fœmina eſſe poſſunt, pudicitia ſola eſt quæ ſuppeditat quæcũq; deſunt: hæc dotis inopiam auget, deformitatem non modo ornat, uerum ad pulchritudinis ſpeciem redigit, ignobilitatem illuſtrat, & denique omnia implet quæ aliqua ex parte deeſſe poſſent. Pudicitia gratã parentibus maioribusq; matronam facit, quarum ſanguinem nullo adulterio uitiatum ſuſpicatur: hæc eandem liberis commẽdatiſſimam reddit, quibus

nec

nec de matre unquam erubescendum est, nec de patre ambigendum: hæc deniq; efficit, ut neq; iurgia, neq; aduersam auditionem formident. Hinc illud Xenocratis recte fertur elementum, puellarum proprium esse pudicitiam, non aliter, quàm piscibus aquã, etiam auibus aërem. Pudicitiam uitæ præferendam, non modo Romani, & Græci, sed & barbari etiam in seruitute constituti censuerũt. Mithridates Ponti Rex ingenti prælio superatus à Romanis Pompeio Duce, cum in regni penetralia confugeret, adultam filiam Dripentinam nomine morbi asperitate uexatam Menophilo eunucho reliquit, in castello Gynorio optime munito: is uirginem omni remediorum cura pristinæ ualetudini restitutam, patri tutissime seruabat: uerum cum à Mallio prisco, Imperatorum legato, castellum obsidere cerneret, & defensores deditionem meditari, ueritus ne puella captiua uirginitatem hosti prostituere cogeretur, eam gladio interemit: quo quidẽ ex uulnere auulso seipsum transfodit, ne minus diligens custos creditæ sibi pudicitiæ uideretur. Nec idem est uirginitas, & pudicitia. nam mulieres, quæ uirum habent, pudicæ esse possunt, non autem semper uirgines. Iulia Firma patritia Suessana, ut in epitaphio legitur, pudica dicebatur: quia post mortem uiri casta seruauit thorum uiro. Cicero obiurgantibus quòd sexagenarius Popiliam uirginem duxisset, cras mulier erit inquit.

Exempla mulierum, quæ ob pudicitiæ pulchritudinem, summis laudibus monumentis traditæ sunt. CAP. LXVIII.

SEd post hæc afferamus exempla excellentissimarum mulierum, quæ ob pudicitiæ pulchritudinem summis laudibus

laudibus ſunt honeſtatæ. Teutonicorum cõiuges Marium uictorem orarunt, ut ab eo uirginibus ueſtalibus dono mitterentur, affirmantes æque ſe, atq; illas uirilis concubitus expertes futuras: eaq; re non impetrata laqueis ſibi nocte proxima ſpiritum eripuerunt. Exercitu, & copijs Gallogræcorum Cn. Manilio Cos. in Olympo monte ex parte deletis, ex parte captis, Orgiagontis Reguli uxor miræ pulchritudinis à Centurione, cui cuſtodienda tradita erat, ſtuprum pati coacta, poſtquam uĕtum eſt in eũ locũ, in quem conſulis iuſſu Centurio miſſo nuntio neceſſarios mulieris pretium quo eam redimerent afferre iuſſerat, aurum expẽdente Centurionẽ, & in eius pondus animo, oculisq; intento, Gallogræcis lingua ſuæ gentis imperauit, ut eum occiderent: interfecti deinde caput manibus retinens ad coniugem uenit, abiecto; ante pedes eius, & iniuriæ, & ultionis ſuæ ordinem expoſuit. Huius fœminæ quid aliud quiſquã, quàm corpus in poteſtatem hoſtium ueniſſe dicat? nanq; animus neq; uinci, neq; pudicitia capi potuit. Græca fœmina nomine Hippo cum hoſtium claſſe eſſet excepta, in mare ſe, ut pudicitiã morte tueretur, abiecit: cuius corpus Erithreo littori appulſum proxima undis humus ſepulturæ mandatum ad hoc tempus tumulo cõtegit: ſanctitatis uerò gloriam æternæ traditam memoriæ Græcia laudibus ſuis celebrando quotidie florentiorem effecit. Non minus Ciane Syracuſana uirgo uiolatam ab ebrio patre pudicitiam ulta eſt. Etenim ex ea re cum graui peſte Siracuſæ laborarent, oraculaq; reſpondiſſent, de ſcelerato ſacrificandum eſſe: cum nemo intelligeret ad quem ea res pertineret, Ciane parẽtem capillis appræhenſum ad aram traxit, illicq; manu ſua eum pro uictima mactauit,

atq;

atque ſuper occiſi corpus ſe quoq; interemit. Medulina uirgo Romana in bacchanalibus ab ebrio patre obſcuro in loco uim paſſa, ut ſtupri autorem agnoſceret, digito eius anulum detraxit, quẽ aliquandiu ſeruauit, quoad maiuſcula facta ex anuli ſigno patrem iniuriæ autorẽ cognouit. Itaq; tunc denuo deprehenſum ebrium capite ſertis, ut erat, redimito ad aram Fulguris traxit, atque illic multis conſperſum lacrymis, tanquam pudicitiæ ſuæ uiolatorem ſacrificauit. Sophronia Romana matrona nobilitate inſigni, cum eam à Maxentio miſſi uiri expectarent, ipſa una tantum comitata ancilla cubiculum ſuum ingreſſa eſt, ubi poſteaquam longiore oratione ſe Deo excuſauit, ſi ante ſtatutam diem uitam relinqueret, cultello ſibiipſi mortem conſciuit: Lucretiæ Romanæ in eo anteferenda, quòd ipſa ne uel corpus, uel animum, quæ duo inſigni pudicitiæ candore fulgebant, labe aliqua inficeret, manum ſibi iniecit: illa ut læſum iam pudorem excuſaret, ſanguinem cum uita effundere uoluit. Captis, euerſiſq; à Nicathore Thebis, is in Thebanæ uirginis flammas incidit, & muneris loco, quòd ab eo diligeretur, accepturam arbitratus, tamen diu rogando cum nihil profeciſſet, uirgo imminere uim ueritа cum in partẽ ſeceſſiſſet, aliud à ſe agi uelle fingens, mortem manu ſua ſibi conſciuit. Hoc idem quinquaginta quoque Spartanæ uirgines fecerunt: nam cum ad Meſſeniorum urbem ſacrorum cauſa profectæ eſſent, ſicuti ex fœdere promiſſum erat, Meſſenij iuuenes in uenerem eas ſolicitabant, quorum uim ut effugerent incolumi pudicitiæ uitam poſtponentes mortem oppetierũt. Inſigne quoq; pudicitiæ exemplum illud fuit, quod duæ Leutris Sedaſio patre in Bœotia ortæ uirgines ediderunt: nam cum abſenti

patre

patre duos iuuenes pro ueteri hospitio domi excepissent, ab iis uim passæ eodem ferro die postera ambæ concordes, cum prima eo usa, alteri eius usum concessisset, se interemerunt, hoc testimonio declarantes, etsi corporibus uis allata erat, animos tamen culpæ insontes mansisse. Phithomena Alexandrina uirgo, quæ Romani ciuis serua, ab eo & propter formam, & propter uirtutem uehementer diligebatur, & cum diu promissis, minisq; frustra oppugnasset, dominus tandem amore in odium conuerso, ad Iudices eam, ceu Christianam detulit. Cum autẽ propter hoc puella de sententia non moueretur, feruenti pici immersa hoc tormento uitam agere, quàm pudicitiam uiolare maluit. pudicitiam profectò mirandam. Non minus indignabundam Anastasia se, ne suam macularet pudicitiam, ostendit: nam cum eam Theodora Augusta suspicata à Iustiniano Augusto uiro suo diligi, acerbo uerbo carpsisset, ut uero experimento declararet, se ea in re Iustiniano non respondere, Alexandriam profugit, atq; illic inter sacras uirgines latuit, ubi postea Theodoræ audita morte, cum se impensius, quàm antea à Iustiniano Theodoræ iugo liberato diligi audiret, uerita ne tãdem uis inferretur, eum declinauit amorem, quem permultæ magno studio sequi uoluissent. Itaq; uiriles amicta uestes, ad extrema Aegypti deserta aufugit, ubi Anastasij, tanquã uir esset, nomine sumpto, diu austere, ac sancte uixit. Cum Attila Hunnorum Rex Aquileiam urbem oppugnaret, Dugna in ea urbe nobilitate atq; pudicitia insignis, quæ barbaros iam urbem irrumpere uidebat, quos acceperat in diripiendis urbibus crudeliter, auareq; rem gerere, neq; à mulierum pudicitia iniuriam abstinere, ne eam uim incurreret, cum

domum in amnis ripa positam haberet, à fenestris in eum se præcipitem misit.

Exempla mulierum, quæ ob excellentiam formæ celeberrima fama claræ fuerunt. CAP. LXIX.

FVerunt etiam ob formam mulieres summa celebritate claræ, quarum aliquæ à Dijs, nonnullæ ab hominibus sunt adamatæ. Ariadne filia Minois forma fuit elegante, quam propterea Bacchus duxit in uxorem, eiusq; coronam stellis ornatam in astra retulit. Antiopa filia Nyctei, & uxor Lyci Regis Thebarum speciosissima propter formam à Ioue adamata est, ex qua Zetum, & Amphionem suscepit. Aeginam quoq; Asopi, Regis Bœotiæ, filiam ob excellentem pulchritudinem adamauit Iupiter, iacuitq; cum ea in specie ignis. Briseis formosa adeo fuit, ut Achilles eius amore conflagrauerit, eamq; quamuis ancillam plus quàm puellas omnes adamauerit. Cænis puella Thessala Thessalidum uirgo pulcherrima à Neptuno compressa est. Cydippe ab Acontio ob præstantiam formæ adamata est. Cynthiam adamauit Propertius, quam secundum post Helenam canit. Deianira Herculis uxor, ut Ouidius inquit,

quondam pulcherrima uirgo,
Multorumq; fuit spes inuidiosa procorum.

Deiphile Tydei uxor nulli fuit formæ laude secunda. Eurydice Orphei uxor,

puellas
Tam uisa est superare pares cœlestibus aulis,
Quàm iucunda Venus dominas supereminet omnes.

Galatheã adamauit Virgilius, cuius pulchritudo fuit admirabilis. Fuit tam elegãs, & concinna Hippodamiæ pulchritudo, ut ad impetrãdas eius nuptias celebrata sint certamina procorum: in quibus cum uictor euasisset Pelops,

puellam

puellam duxit uxorem. Hiera fuit uxor Telephi, mulier omnium (quas Protheſilaus uidit) maxima, atq; pulcherrima. Lauiniæ forma fuit origo belli inter Aeneam & Turnum, quorum uterque eam ſibi uxorem dari uolebat. Lesbiam adamauit Catullus, quæ cum pulcherrima tota erat,

Tum omnibus una omnes ſurripuit Veneres.
Lycorym Gallus, cui pulchritudine nulla
Præferri potuit.

Lamia autore Plutarcho puella fuit ſpecioſiſſima à Demetrio adamata, quæ & tibijs optime ceciniſſe dicitur: hæc primo canendi, modulandiq; ſuauitate gratiam ſibi apud omnes comparauit. Maia Athlantis filia forma ſorores ſuas ſuperauit, ob quam Iupiter cum ea concubuit. Omphale Regina Lydorum fuit facie adeo præſtanti, ut ei ſe ſubmiſerit Hercules. Panthea uxor fuit Abradatæ uiri nobilis apud Perſas, quam Cyrus expugnatis Aſſyriorum caſtris duxerat captiuam. Abradata autem abſente, & apud Bactrianos legatum agente Araſpæ Mædo ſeruanda tradita eſt, qui apud Cyrum affirmauit nondum eſſe ortam, aut omnino inuentam tota Aſia pulchriorem. Fuit etiam in Semiramide eximia pulchritudo, & facies imperio digna. Siſigambis uxor Darij nulli ſuæ ætatis fœminæ pulchritudine ceſſit, teſte Curtio, quam tamen uicto Dario Alexander non ſolum non uiolauit, ſed etiam ſummam adhibuit curam, ne quis captiuo corpori illuderet. Tyro puella Salomei filia ob formam à Neptuno adamata eſt. Violantilla Stellæ Poëtæ uxor nulli puellæ pulchritudine ceſſit. Fuerunt & aliæ fere innumeræ, ut Paſiphaë, Berenice, Hermione, Penelope, Diadamia, Her-

filia uxor Romuli, Ero, Virginia, Anaxarete, Antigone, Arachne, Arethusa, Arsinoë, Polyxena, Pelagia, Lycaste, Iocasta, Hecuba, Cassandra, Hesperiæ, Cleopatra, Cælia, Ilia, Heroinæ, & aliæ propè infinitæ, quarum aliæ sola corporis pulchritudine, aliæ uero non sola corporis forma, sed etiam morum concinnitate ab historicis sunt decantatæ. Helenæ forma Poëtis omnibus cantatissima, laudem meruisset maximam, nisi ea Troiæ ruinam, belliq́ue decennalis causam attulisset. At nemo est, cui nõ sit odio, quum tantæ cladis, & calamitatis uenit in mentem. Magnus Alexander totius propè Orientis uictor, & Imperator Roxanam Satrapis barbari filiam matrimonio sibi iũxit ob solam eius pulchritudinem. Quæ uero ob pulchritudinem ardentissimo amore fuerunt adamatæ tum à Dijs, tum ab hominibus, innumeræ sunt, ex quibus nonnullas celebriores iterum annotabimus, ut sciant homines formam non minus claras efficere puellas, quàm ornamenta, diuitias & genus. Fuit itaq; Daphne Penei Fluminis filia Phœbi amasia, Gnosia Ariadna Bacchi, Sappho Phaonis, Hebe iuuentutis Dea Herculis, Syrinx nympha Panos, Ero Leandri, Phyllis filia Lycurgi, Regis Thracum Demophoontis, Iphis Patrocli, Similax Croci, Glycera Pausiæ Sicyonij pictoris, Campaspe Alexandri, quam Alexander ipse muneri dedit Apelli pictori, Philace Stratoclis, Echo Narcissi, Flora Dea florum Zephiri, Acme Septimij, Ausilena Quintij, Andromeda Persei, Lesbia, ut diximus, Catulli, Quintilia Calui Licinij, Lyde Callimachi, Batthis Philetæ, Beatrix Dantis Aligerij, Laura Petrarchæ, Licinia Horatij, Stella Platonis, ut Plutarchus autor est: Violantilla, ut diximus, Stellæ Poëtæ, Leu

tæ, Leucadia Terentij Varronis Atacini, Dælia Sulpitia Nemesis, Neæra Tibulli, Cynthia, ut diximus, Propertij, Melenis Domitij, Pamphila Valerij Aeditui, Chrysis Q. Trabeæ Comœdiographi, Martia Hortensij, Terentia Tullij, Calphurnia Plinij, Pudentilla Apuleij, Rusticana Symmachi, Corynna Nasonis, Cesennia Getulici, Argentaria Lucani, Lamia Demetrij, Phryne Timothei, Flora Pompeij, Aspasia Periclis, Rodope Psamnitici, & Antonij Cleopatra. Sunt & aliæ apud Tenedum, Troianis adiacentem insulam, quas esse omnium quotquot sunt mulieres speciosissimas in Asiæ Periplo, scribit Nymphodorus. insuper & aliæ olim, & tunc, quarum forma celeberrima fuit, quas breuitatis causa prætermisimus. Non autem tu illustris Ioanna prætereunda es: non enim solum inter has connumerari meeris, sed omnibus anteponi: quandoquidem non modo corporis forma, uerumetiam pudore, pudicitiáue omnes exuperas. Qua ratione fit, ut sola nostro æuo felix sis habenda, quippe cum felicitatis partes in puellis ipsis, ut recte Aristoteles probauit, duæ tantum sint: pudicitia, cuius comes est pudor & forma, quibus tu super omnes emicas: nec ab ratione ita esse, illustrissima Victoria Columna Piscarienſium Marchio, mulierum decus, iubarq; splendidissimum probauit. Nam ob corporis formam puella cũ ijs amantibus omnibus pugnat, ac acerrime cõtendit, qui eam ardenter deperientes, possidere enituntur: ob pudicitiam autem, pudorémue & se ipsam, & eos exuperat, qui eam in sui uotum, iurisdictionemq; adjcere contendunt: non enim aduersus pudicas amatoria tela ualent. Quam rẽ Lucianus non ignorauit: nam cum quæreretur ab eo, cur

Musæ ab amoris sagittis impenetrabiles sunt, respondit, quoniam pudicitia, pudoréue sunt munitæ, armataeq;. Es igitur felicissima, cum felicius, ac beatius possit esse nihil, quàm acerrime certare, atq; hostes uincere, cuius rei signo nobis sunt honores, qui uictoribus exhibentur, ut triumphi, laureæ, coronæ, anuli, & cætera id genus.

Exempla eorum uirorum, qui propter formam celeberrimam à prioribus specie præsignes habiti sunt. CAP. LXX.

POst hæc de ijs uiris, qui à prioribus habiti sunt forma præsignes, quorum aliquos Poëtæ fabulati sunt, & propterea habent allegoriam. Verum quia exempla hæc amoris uim atq; imperium exprimunt, uehementius si tanquam historia gesta narrentur, quàm si per allegoriam dicta putentur: ideo de eis exempla afferamus, ac si historica sint. Itaq; forma in primis apud Græcos uisenda, & amabili, ut autor est Plato, fuisse Alcibiadem ferunt: apud Romanos uero Scipionem. Demetrium cognomento Poliorcetem, boni quoq; huius plurimum uendicasse sibi. Alexandrum fuisse formosum traditur, sed apragmones, cæterum & formidabile quiddam formæ inerat eius. Hominum quoq; pulcherrimum fuisse prædicant Phaona, quem inter lactucas occultarat Venus: sunt qui probant portitorem fuisse hunc, eoq; se fouisse artificio: ad hūc transmissura Venus cum appulisset quandoque, grate excepta ab eo est, etiam si quænam foret, prorsus inscio: transportata uero, quò uellet, dicta homini alabastrum unguenti obtulit: quo is cum se oleuisset, omnium euasit formosissimus, atq; eo nomine à Mitylenæorum mulieribus ardenter appetebatur: unde factum, ut adulter demum deprehensus, iugularet

gularetur. amatum à Sappho sciunt omnes, quæ Poëtria fuit Scamandronymi filia, cuius sapientiam admiraren-tur etiam Plato, & Aristoteles. Fuit & in Lesbo Sappho altera, uerum meretrix, haud Poëtria. Alexim formosum fuisse tradit Virgilius, quem deperisse Corydonem pastorem tradit, Adonim Myrrhæ filium ob excellentiam formæ Venus ardenter dilexit, Auentinum Hercule pulchriorem fuisse scribit Virgilius. Asturem etiam formosissimum fuisse idem Virgilius narrat. Atim puerum Phrygium à Cybele ob formæ præstantiam adamatum esse omnes asserunt. Antinoo Bithynico mira pulchritudine adolescenti tanta tamque elegans fuit forma, ut Adrianus Imperator, à quo adamabatur, templum ei apud Mantineam constituerit, & ciuitatem apud Nilum, eiusque imaginem fecerit insculpi Numenis. Achantus puer speciosissimus fuit, qui ob inuidiam tantæ formæ in florem sui nominis à Dijs conuersus est. Amaracum in herbam odoriferam mutatum esse ob formæ elegantiam omnes fatentur. Asterius Veneris filius forma fuit insignis, sed omnium amores respuens. Alfum Gygari Danorum Regis filium tam excellentis formæ ac cæsariæ extitisse scribit Saxo grammaticus, ut argenteis nitere crinibus putaretur. Batyllus cum esset formæ elegantissimæ, ab Anacreonte ardenter adamatus est. Diadumenus Augusti fuit prægustator, puer adeo speciosus, ut in formæ certamine (quod fiebat Elidi) meruerit palmam. Democles puer Atheniensis fuit adeo speciosus, ut ex pulchritudine sua pulcher Democles ab omnibus uocaretur: cui (quod paucis admodum formosis contigit) tanta extitit pudicitiæ

cura, ut ad declinandam uim Demetrij, à quo petebatur ad ſtuprum, ſe in plenum feruentis aquæ lebetem (cum aliter effugere non poſſet) coniecerit. Euryalum ob præſtantiam formæ adamauit Niſus, Endymionem uero ob eãdem cauſam Luna. Galetes adoleſcẽs forma ſpecioſa decentiq; fuit, & Ptolemæo Regi uſqueadeo gratioſus, ut Rex ipſe quibuſdam (qui ad ſupplicium trahebantur) eiuſdem patrocinio pepercerit. Hippolytus Theſei filius adeo ſpecioſus fuit, ut adamaretur à nouerca. Hylas propter formæ elegantiam ardenter ab Hercule diligitur, quem poſtea ob eandem cauſam Nymphæ rapuerunt. Celebratur etiam ob excellentiam gratiæ Hyas Atlantis ex Aethra filius. Hippoclides Tiſandri filius diuitijs atq; forma ab Athenienſibus præcipuus habitus eſt. Iulus Aeneæ filius ex Creuſa ob formæ præſtantiam à Virgilio celebratur. Iuuencius tantæ pulchritudinis fuit, ut eum Catullus ardentiſſime deperiret. Lauſus Mezentij filius tantæ pulchritudinis fuit, ut ab omnibus diceretur pulcherrimus. Lygdus etiam à prioribus forma habitus eſt præſtantiſſima. Leander puer ex Abydo (qui Ero puellam adamauit, & ab ea redamatus eſt) multis laudibus ob formæ excellentiam commendatur. Ligurinus ob pulchritudinis magnitudinem ab Horatio ardenter diligitur, quemadmodum Marathus à Tibullo. Magnes Smyrnæus adoleſcẽs omniũ ſui ſæculi pulcherrimus, cunctisq; propterea gratiſſimus, ſed maxime Gygi Lydorum Regi: quod ferentes ægre parentes, capillos ei totonderunt, ut aliquid de pulchritudine minueretur: indignatus uero Gyges bellum mouit in Magneſios. Narciſſus filius fuit Cephiſi, & Lyriopes à multis nymphis ob pulchritudinem adamatus: cuius deſiderio cũ

nymphæ

nymphæ ipſæ intabeſcerent, mutatus eſt in florẽ ſui nominis. Niſus Megarẽſium Rex ob pulchritudinẽ capillos aureos habuiſſe fertur. Non fama minore Nirei forma celebratur ab Homero, Horatio, Ouidio, Propertio, & ab alijs, nec pulchritudo Nearchi ab Horatio. Paris quoque præ formæ elegãtia à prioribus habitus inſignis. Phædrus Elienſis Socrati, Platoniáque familiaris à domino lenone (dictu infandum) ob excellentem formam coactus eſt ſe proſtituere, ſuoq; corpore quæſtum facere. Parthenopæũ Meleagri, & Atalantæ filium, uel (ut alijs placet) Martis, & Menalippes forma fuiſſe liberali, ſcribit Statius, quemadmodum Serranum ſcribit Virgilius. Spurina fuit forma egregius adoleſcẽs, qui cum fœminas uirosq; ad libidinem decoro aſpectu ſolo prouocaret, pulchritudinẽ oris ſponte uulneribus deformauit. Turnũ quoq; à forma pleriſq; in locis commẽdat Virgilius. Sunt etiam alij permulti pueri, in quibus elegans fuiſſe pulchritudo memoratur. Verum hos in exemplo uolumus eſſe inductos, ut intelligatur non minimam partẽ felicitatis humanæ eſſe pulchritudinem: quandoquidem & à poëtis, & ab hiſtoricis nõ minore diligẽtia pulchri, quàm qui animi cõcinnitate honeſtantur, in memoriam ſeruãtur. Poſt hæc de amore per ſe diſſerendum eſt: nam quæ de eo hucuſque diximus, obiter ea ratione diximus, qua de pulchro ipſo pertractauimus: non enim de pulchro quiſpiam dicere poterit, niſi de ipſo amore dixerit: quippe cum amor, & pulchrum, ut inquit Socrates, correlatiua ſint, quorum eadem eſt ſcientia. Quare de amore diſſerendum nunc per ſe: nam & de pulchro diximus, licet nonnulla obiter de ipſo ſint adhuc dicenda.

AVGVSTINI NIPHI MEDICIS

AD ILLVSTRISS. IOANNAM ARAGONIAM TAGLIACOCII PRINCIPEM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

DE AMORE LIBER.

Autores qui de amore dixerunt. CAP. I.

QVONIAM *nemo poteſt difficilia peragrare, niſi aliquo, uel aliquibus, aſſumptis quaſi ducibus: ideo nos autores qui de amore ſcripſerunt primo explicare debemus, ut intelligant qui hunc commentariolum legent, me tam arduam rem non eſſe agreſſum ſine bonis ducibus. Scripſerunt itaq; de amore Plato in Sympoſio, & apud Platonẽ in eo libro Phædrus, Pauſanias, Eryximachus medicus, Ariſtophanes, Agatho, poſtremo Socrates à Diotima fatidica edoctus, quæ harum rerum, atque aliarum multarum perita fuit. Verum quæ uiri hi dixerunt, ualde pauca ſunt, potius rhetorica, atq; fabuloſa. ea enim quæ Socrates dicit in ſua oratione, licet uera ſint, tamen pauciſſima. Scripſerunt etiam de amore, & pulchro aliæ mulieres, ut Adraſtia, Aſpaſia, & Sappho, ſed poſt hos Ariſtoteles, qui ſub nomine amicitiæ de ipſo amore diligentiſſime egit. differt enim amor ab amicitia in paucis, ut poſtea dicemus. Quædã etiã de amore ſcripſerũt Plotinus, Porphyrius, Iamblicus, Proculus, aliiq; Platonici,*

nici. Ficinus uero amplificãs ea, quæ Plato de amore tradidit, partim allegorizando, partim addendo multa de amore non imperite compilauit: poëtæ autẽ & Græci, & Latini fere omnes etiã uulgares de amore cecinerũt: est enim quasi omnium poëmatum materia, potissimum tragicorũ, atq; comicorum: epopeici enim res gestas heroum magis, non tamen amatoria omnia prætereundo cantant. Verũ temporibus nostris Marius Aequicola Oliuetanus amicissimus noster meo iudicio fertilissime de amore scripsit, & licet uulgari, atq; materno sermone, tamen nihil intentatum prætermisit. & quoniam amor aliquãdo in aliquibus adeo accreuit, ut transierit in morbum, hac ratione de amore medici pertractauerunt, ut Auicenna libro tertio, cum egit de Hilisce: Rhases etiam libro, qui omnium morborum ab eo continens dicitur, diligenter disseruit, de quo etiam medici iuniores cæteri tradiderunt. Dicamus igitur & nos, primo tamen quæ alij asseruerunt, breuibus pertranseuntes, ut in omnibus peripateticum dogma imitari enitamur.

Opinio Orphei de amore, & eorum qui eum sequuntur. CAP. II.

ORpheus itaq; in Argonautica, cum de rerum principijs coram Chirone, Heroibusq; cantaret, Mercurij Trismegisti theologiam secutus, Amorem magnum Deum esse, & apud Deos, hominesq; mirandum, cum propter alia multa, tum maxime propter eius originem narrauit, eumq; antiquissimum asserens: quippe cum chaos ante mũdum posuerit, & Saturnum, Iouem, cæterosque deos, Amorem in ipsius chaos sinu locauit, & amorem tandem definiens, eum esse dixit principium, quo

quo chaos ornamentum appetit: cum enim chaos informe quippiam sit, κοσμὸν, hoc est, ornamentum desiderat. Quare desiderium, quo chaos pulchritudinem appetit, amor esse uidetur. Hanc opinionem Hesiodus in Theogonia, & in libro de natura Parmenides Pythagoreus, & Acrisileus Poëta secuti sunt, quinimo Poëtæ ferme omnes amorem esse Deum cecinerũt. Plato autem in Symposio, licet in collaudatione amoris opinionem hanc sectari uideatur, tamen in libri persecutione rem hanc refutauit.

Refutatio, & interpretatio illius opinionis. CAP. III.

SOcrates igitur apud Platonem positionem hanc refellit: primo, quia amor iuuenis maxime omnium Deorum sit: cuius ipse euidens argumentum præbet, cum senectutem fugiat, uelocem uidelicet, quæ citius, quàm oportet, aduentat, eamq; amor natura odit, fugitq;. Iuuenibus uero se miscet: scite quidem ueteri prouerbio fertur, simile simili semper hærere. Deinde tener amor est, neq; enim per terram, & saxa uadit, quæ aspera sunt, sed mollissimis omnium rebus se infigit, atque permanet: in animis quippe hominum sedem suam locat: neq; tamen in quibuslibet animis: nam si durum animi offenderit habitum: aufugit: sinautem mitem, mollemq;, inhabitat. cum itaq; mollissimarum rerum mollissimas semper partes pedibus, totoq; tangat, tenerrimum esse amorem necesse est. Quapropter & iuuenis est, & tener præ cæteris amor. Hæc Agatho aduersus eam opinionẽ. Socrates uerò etiã eis occurrit: primo, quia amor est appetitus pulchri, atq; boni: igitur amor caret bonis, atque pulchris. est enim omnis appetitus eorum, quæ non habemus. & si est eorũ, quæ

quæ habemus, erit eorum modo, quo illa non habemus, ut posterius differendum. quod autem caret pulchritudine, atq; bonitate, in se non erit bonum, neq; pulchrũ. Quare amor nec bonus erit, nec pulcher: non ergo erit Deorum aliquis, quippe cum Dij omnes & pulchri sint, & boni. Deinceps amor medium quippiã inter turpe & pulchrũ, inter bonum & malum, inter mortale & æternum, uti Socrates ab ipsa Diotima edoctus longis uerbis dilucidauit. Dij autem omnes sunt & boni, & pulchri, & æterni. Amor igitur non est inter Deos collocandus. Et licet hæc argumenta partim rhetorica, partim uera sint, tamen hoc ex ijs uolumus esse pertritum, amorem non esse Deum, nisi per amorem prisci illi uoluissent allegorice significare eam inter patrem, & filium connexionẽ (ut ita dixerim) quam in diuinis sanctissimi doctores esse asserunt, appellantes patrem unitatem, æqualitatem filium, connexionem spiritum sanctum, qui amor cum sit naturalis, alterum cum altero connectit, similitudine uidelicet naturæ quæ in eis est eadem: hoc tamen, licet uerum sit, illos arbitratos esse non affirmo, cum illi alieni sint à nostra religione: rectius autem opinor eos per amorẽ intellexisse eam primæ materiæ affectionem, qua ipsa imperfecta, ac informis in se existens, perfectionem, ac formam appetit: & quoniam forma apud priscos materiæ pulchritudo dicebatur appetitus materiæ, quo forma appetitur, amor appellabatur: de huiusmodi itaque amore locutus est Orpheus, atq; cæteri qui Orpheũ imitati sunt, per chaos informẽ materiam intelligens, in qua omnes formæ potẽtia quadam confusa continentur: & per amorem, qui in sinu ipsius chaos ante cuncta habetur, materiæ appetitum,

qui

qui uel est priuatio ipsa, uel non sine priuatione, qua uidelicet appetit formas omnes. nec hoc pacto solum amorem intellexerunt, sed fortasse affectionem omnem cuiuscunque imperfecti, atque informis, qua appetit suam perfectionem, hoc est suam pulchritudinem. in hunc enim modum desiderium hominum quo scire desiderant, amor etiam nuncupatur: anima enim hominis imperfecta per ipsum scire apta est perfici: eadem ratione graue appetit deorsum ferri, & leue sursum, uisus uidere, & auditus audire, & ut breuibus dicam, appetitus omnis, quo informe, atq; imperfectum appetit suam perfectionem, quæ sua est pulchritudo, amor consueuit dici: qua ratione fit, ut illud Dantis poëtæ ueriſsimum sit, nec creatorem, nec creatam rem ullam esse absque amore. Verum licet hæc possent hoc pacto allegorice interpretari, de huiusmodi amore nobis non est sermo: de eo enim amore nobis sermo est, qui Cupido Veneris filius, atq; Erus à poëtis dicitur, cuius gemellus est Anterus, ut postea disputabimus.

Opinio Hierothei de amore. CAP. IIII.

Hierotheus autem dixit amorem esse insitiuam quandam uirtutem, quæ superiora quidem ad inferiorũ prouidentiam mouet, æqualia rursum ad socialem sui inuicem cõmunionem conciliat, ac postremo inferiora quæq; admonet, ut ad priora, sublimioraq; conuertantur.

Confutatio & interpretatio huius opinionis. CAP. V.

Sed hæc positio, nisi interpretetur, non est clara: non enim apparet, quis amor ille sit, qui hæc, quæ Hierotheus eum facere narrat, faciat. Deinde licet aliquis amor esset, qui illa faceret, nos principaliter non de eo loquimur,

mur, sed de Cupidine, qui est Veneris filius: & propterea nonnulli Hierotheum de eo amore locutum esse affirmãt, qui in diuinis tertia persona est, quam catholici spiritum sanctum uocant, ut Dionysius exposuit. Spiritus sanctus enim amor est, qui uirtus quædam naturalis est connectens, ut diximus, patrem cum filio, qui sunt eiusdem naturæ, quæq; superiora ad inferiorum prouidentiam mouet, æqualia rursum ad socialem sui inuicem communionem conciliat, & postremo inferiora quæq; admonet, ut ad potiora, sublimioraq; conuertantur. spiritum sanctum enim hæc omnia facere Dionysius declarauit. Dantes quoque poëta asserit spiritum sanctum eum amorem esse, qui cum summa sapientia, ac diuina potestate infernum struxit. Alij uerò de anima mundi hæc esse dicta contendunt: hæc enim superiora corpora, quæ cœlestia sunt, ad inferiorum prouidentiam mouet, æqualia ad socialem sui inuicẽ communionem conciliat, & tandem inferiora quæq; admonet, ut ad potiora, sublimioraq; conuertantur. Sed siue hoc modo, siue aliter hæc opinio interpretetur, nulla est nobis cura, quandoquidem de huiusmodi amore non est futurus noster sermo.

Opinio Lucretij de amore. CAP. VI.

LVcretius uero Epicureus ex parte amantis quidem amorem asserit desiderium esse, quo amans se totum in amatam trãsferre desiderat: cum enim genitale semen à toto corpore defluat, solo huius iactu, uel tactu totum corpus tradere se posse confidit. ex parte uero amatæ amorem esse autumat desiderium, quo amata totum amantem capere desiderat: quam definitionem Arthemisia Mausolei Regis Cariæ uxor ostẽdit, quæ, ut dicemus, supra

affectionis

affectionis humanæ fidem uirum suum adamasse fertur, eiusq; defuncti corpus redegisse in puluerem, & aquæ inditum ebibisse.

Refutatio, & opinionis interpretatio. CAP. VII.

SEd pace tanti uiri dixerim, si amor est desiderium translationis amantis in amatam, uel hæc translatio interdum futura est hoc pacto, ut amans ipse transferatur in amatam, ceu Medusa in saxum, aut per similitudinem, quatenus semen maris proijcitur in uterum, in quo fieret generatio rei similis ipsi semen proijcienti. Primo modo fabulosum est, & nec fuit nec erit unquam. Quare desideriũ erit frustra. Sinautem Lucretius intelligit secundo modo, sic amor erit desiderium utendæ fœminæ, ut in ea, & ex ea amans generet sibi simile, & hoc pacto amor erit feris, non autem hominibus accommodatus: animalia enim muta desiderant uti fœminis sui generis, ut in eis, & ex eis sibi similia generent. At talis amor non Cupido est, quem Poëtæ Veneris filium esse tradunt, sed ferina concupiscentia, de qua posterius loquemur.

Opinio Socratis de amore. CAP. VIII.

SOcrates uerò apud Platonẽ in Symposio, primò concludit amorẽ esse in genere relatiuorũ: quoniam amor alicuius est amor: deinde accepit amantem, qui amat, illud ipsum appetere, cuius est amor: hoc enim ex eo patet, quia amor appetitus est quidam, quare amans idipsum appetit, cuius amor est. Ad hæc sumit amantẽ, qui amat, & appetit id cuius est amor, atq; appetitus, non apud se habere: nam appetitus est ratione carentiæ: qui enim amat, id appetit, quo indiget. Sed occurres: nam dum quis est sanus, uult esse sanus, & dum est diues, esse diues:

quare

quare quæ habet uult, & cupit. Socrates respondit, eum qui diuitias, sanitatem, & robur habet in præsenti, uelit nolit habet, & hac ratione dicitur non uelle: non enim dum habet, habere cupit: illud tamen dici potest uelle, & cupere pro tempore futuro, indeficienterq; quippe cum uelit ac cupiat, ea non defutura esse. Quare qui amat, habere potest id, quod amat, quoniam id amat, & uult, ut non desit in futurum: ueluti qui caret uxore, antequam eã habeat, possidere desiderat, cupit, & amat, postquam uero habuerit, non amplius amat, appetit, ac habere desiderat, sed amat, appetit, & uult, ne illa desit in futurum. Patet igitur primo amorem esse aliquorum, deinde illorum potissimum, quibus indigemus, & non habemus. Quòd si amor aliquorum sit, cum amor turpium esse nequeat, hæc enim fugit amans, atq; odio habet: quare est desiderium pulchrorum: & cum amor desiderium sit pulchrorum, amor non habebit pulchritudinem, eò quia desiderium est eorum, quæ non habet: & cum detur medium inter turpe, & pulchrum, ut Diotima demonstrauit, & inter bonum, & malum, ceu inter scientiam, & ignorantiam, media est recta opinio, fit ut amor medium sit inter bonum, & malum, inter turpe, & pulchrum: quippe cum desiderium eorum sit, quæ non habet. eadem ratione amorem medium esse affirmat inter mortale, & æternum, & propterea magnum esse Dæmonem autumat, quia omnis natura dæmonum inter mortales & deos est media. Hæc Socrates de amore.

Refutatio opinionis huius. CAP. IX.

Sed hæc quæ Socrates dixit, nisi interpretentur, uidentur absurda. primo quidem, quia si amor sit pulchri

deſiderium, hoc non uidetur ob aliud, niſi quia amans non habet pulchritudinem, & ea indiget, ut Socrates etiam fatetur. Quod autem pulchritudinem non habet, & eam habere deſiderat, aliquando fiet pulchrum. Quare amor erit deſiderium, quo aliquando amans fiet pulcher: hoc autem abſurdum eſt, non enim amans conſecutione fructus amoris pulchrior fit quàm prius erat, nec pulcher, ſi antea erat turpis. Deinde ſi amor eſt pulchri deſiderium, amans ſemper carebit pulchritudine. At in amante requiritur pulchritudo, ut ab amata redametur: non enim poteſt redamari qui aliqua ratione pulcher non eſt: amor enim fugit turpia: quare amans ſemper ab amata fugietur. Ad hæc non uidetur amor medium inter æternum, & mortale: immo ſi id uerum eſt, quod Poëtæ tradunt, amorem omnia uincere, & amorem morte ſolui, cum dicunt,

Omnia uincit amor, ſoluuntur & omnia morte:

amor per mortem amantis ſimpliciter diſſoluetur. Quare non poteſt medium eſſe inter mortale, & immortale. Poſtremo ſi amor eſt priuatio in eo ſubiecto, quod aptum eſt habere pulchritudinem, amor uidetur malum, & turpe, quando, ut Ariſtoteles autumat, priuatio coordinatur cum malis & turpibus, potius quàm cum bonis, & pulchris. Quare niſi hæc Socratica opinio interpretetur, primo aſpectu omnibus abſurda uidebitur.

Opinio Eryximachi de amore. CAP. X.

ERyximachus autem Medicus in omni compoſito, quod ex contrarijs conſtat, duplicem amorem poſuit. alterum, quo contraria quadam mutua concordia ſe afficiendo, ad temperationem, atq; mediocritatem in compoſito ſe reducunt, & huiuſmodi concordiam bonũ amorem ap

rem appellat: discurrit autem in omnibus compositis, quæ ex contrarijs constant, quo modo hic amor reperitur, ueluti in harmonia, & ryhthmis in orationibus, in magistratibus, in ædificijs, in artificialibus, in cœlestibus, in annitemporibus, atq; in cæteris omnibus, in quibus contraria ad compositionem ueniunt. alterum uero, quo contraria in ipsis compositis male concordant, ueluti in ægrotis corporibus humores, & hic amor malus dicitur. Differt autem hæc positio parum, aut nihil ab illa Empedoclis: Empedocles enim amorem, & odium rerum principia esse affirmat, quòd omnia cõposita amore componentium constẽt, odio uero dissoluantur: hæc autem ait omnia composita, quæ ex contrarijs fiunt, bono amore constare, quum contraria ad temperationem reducuntur: malo uero, cum ad intemperationem.

Refutatio opinionis huius. CAP. XI.

SEd pace tanti uiri dixerim, hæc quia medicus erat, medice dicta sunt. Verum nos non de huiusmodi amore loquimur, sed de eo, quo amantes dicimur. Constat autẽ per huiusmodi amores medicinales nos amantes non uocari, sed uel sani, uel ægroti. Deinde huiusmodi amores tam rebus animatis, quàm rebus inanimatis insunt. Amor autem, de quo loquimur, solum hominum est. Postremo amor huiusmodi relatio quædam est naturalis eorum, quæ in composito miscentur. At amor, de quo loquimur, eorum est, qui se amant, aut oderunt. Vnde & Plato, & Socrates huic amori non adhæserunt.

Opinio Virgilij de Amore. CAP. XII.

ALij uero unum amorem communẽ hominibus, atq; feris esse tradũt, ut Virgilius inquit: qua ratione fit,

ut amor nihil aliud ſit, quàm deſiderium utendæ fœminæ ſui generis per omnes eos ſenſus, per quos ſpecies illius defertur ad animam imaginariam, potiſſimum per amplexum tactus: nam quemadmodum fames, atq; ſitis nulla alia re ſedantur, niſi cibo, atque potu: ſic amor nec aſpectu, nec auditu, ſed amplexu, tactu, ac uſu Veneris mitescit, quod Diogenes Cynicus non minus uere, quàm facete ſignificauit, cum dixit, Vtinam poſſem ita à fame conquieſcere fricato uentre, quemadmodum fricata uirga ab amore.

Refutatio huius opinionis. CAP. XIII.

SEd huiuſmodi opinio ferina omni ex parte uidetur. Nam licet homines appetant uti fœminis propriæ ſpeciei, ut animalia muta propter generationem: tamen ſi debent dici amantes, aliquid ultrà deſiderare coguntur. Turpe quidem illud non eſt, quoniam hoc fugiunt, ſpernunt, atq; omnino abhorrent: natura enim humana abhorret turpe, ceu malum. Ergo illud ultrà, quod in uſu fœminarum deſiderant, erit ipſum pulchrum, quod in ſenſibilibus ipſis rebus, potiſſimumq; in fœminis ſolus homo, ut ſuperius probauimus, cognoſcit. Quare ſi homo erit amãs, oportebit, ut deſideret frui, aut uti pulchra fœmina ſuæ ſpeciei, ut in ea, & ex ea pulchrum ſibi ſimile generet: & hic amor cupido eſt, qui ſolis hominibus proprius eſt: non enim muta ipſa animala cupidineo amore afficiuntur erga fœminas ſuæ ſpeciei, cum in illis non agnoſcant pulchrum ipſum, ſed ferina quadam concupiſcentia rapiuntur ad eas, ut generent ſibi ſimilia in illis, & ex illis, ut poſterius docebimus. Præterea ſi amor hominis erga fœminas ſuæ ſpeciei nihil aliud eſt, quàm deſiderium utendæ fœmi

fœminæ solum, nullo pacto pulchro in ea inspecto, tunc non tot de laudibus pulchritudinis in puellis amatis noctu dieq; excantarent, nec magis alteram quàm alteram ardenter deperirent, cum omnes in sexu sint æquales, nec tot rixæ, contentiones, ac discrepantiæ cum riualibus emergerent. Fit igitur, ut amor sit desiderium utendæ, uel fruendæ fœminæ, aliquo altero suprà inspecto in una, & non in altera.

Opinio quorundam Platonicorum de amore. CAP. XIIII.

PLatonici itaq; definientes amorem, dixerunt esse desiderium fruendæ pulchritudinis per usum, aut auditum, aut per mētem, aut per hæc omnia, uel horum plura. Vnde Ficinus triplicem amorem distinxit: nam aut ad contemplatiuam, aut actiuam, aut uoluptuosam uitam prompti, & procliues generati, educatiue sumus: si ad contemplatiuam, statim à formæ corporalis aspectu ad spiritalis, atq; diuinæ considerationem erigimur: si ad uoluptuosam, subito à usu ad tangendi concupiscentiam descendimus: si ad actiuam, atq; moralem, in sola illa uidendi, atq; conuersandi oblectatione perseueramus. Illi tam ingenioſi sunt, ut altissime prouehantur: isti tam hebetes, ut ad infima deprimantur hi tanquam medij in media remanent regione. Amor itaq; omnis incipit ab aspectu, sed contemplatiui hominis amor ab aspectu ascendit in mentem, uoluptuosi ab aspectu descendit in tactum, actiui remanet in aspectu. Illius amor ad supremum Dæmonem magis, quam ad infimum se conuertit: istius ad infimum potius, quàm ad supremum deflectitur: huius ab utroque interuallis distat æqualibus. Tres isti amores tria nomina sortiun

tiuntur, Contemplatiui hominis amor diuinus, Actiui humanus, Voluptuosi ferinus cognominatur. Hæc Platonici.

Refutatio huius opinionis. CAP. XV.

SEd hæc opinio (pace tantorum uirorum dixerim) multifariam absurda est. primo quia dato, quòd hic moralis amor medius sit, possibile non uidetur desiderium fruendæ pulchritudinis per solum uisum, uel auditum, uel utrunq; sed per omnes: nam per quot sensus pulchri species ad imaginariam animam fertur, per tot amor desiderium fruendæ pulchritudinis esse debet. sed per omnes sensus pulchri species ad imaginariam ipsam animam defertur. quòd enim per auditum, satis superius exposuimus: defertur enim per auditum ea pulchritudo, quæ est in amata puellæ uocibus, atq; elocutione: in hac enim sola nonnunquam gratia collocatur, qua anima rapitur ad eius amorem. quòd uero per uisum, olfactum, gustum, & tactum, licet superius satis diligenter fuerit exploratum, Ouidius cum Galatheæ pulchritudinem describeret, nobis significauit dicens,

Candidior folio niuei Galathea ligustri,
Floridior prato, longa procerior alno,
Splendidior uitro, tenero lasciuior hœdo,
Lenior assiduo detritis æquore conchis,
Solibus hybernis, æstiua gratior umbra,
Nobilior pomis, platano conspectior alta,
Lucidior glacie, matura dulcior uua,
Mollior & cygni plumis, & lacte coacto,
Et si non fugias, riguo formosior horto.

in quibus pulchritudinem tetigit ex gustatilibus, quum dixit,

xit, Tenero lasciuior hœdo. & quũ dixit, Matura dulcior uua. & ex tactilibus, cum inquit, Lenior assiduo detritis æquore conchis. & cum ait, Mollior & cygni plumis, & lacte coacto. & ex olfactilibus, quum dixit, Nobilior pomis, scilicet odoris suauitate. & etiam cum inquit, Riguo formosior horto. Quòd uero pulchritudinem ex uisilibus tetigerit legenti uerba perspicuum est. Quare si per omnes sensus pulchri species defertur ad animam imaginariam, amor esse non potest, nisi desiderium fruendæ pulchritudinis per omnes eos sensus, per quos pulchri species ad animam defertur. Experientia etiam docet, quòd aliquando per solum tactum deferatur pulchri species ad animam: nam puellæ in omnibus deformes, ac turpes: quia tamen in tactus lenitate, mollitie, ac suauitate existimantur excellere, ad amorem ardentem nonnunquam homines rapiunt. Sacerdos quidam conciuis noster, cum puellam omnisariam deformem, atque turpem deperiret, interrogatus cur eam ita ardenter amaret, respondit, quia suauitate, atq; mollitie, lenitateq; tactus cunctas excellit. Ecce enim cũ in solis tactilibus cerneret pulchritudinem, amor erat desiderium fruendæ pulchritudinis, propterea quia species pulchri per tactum ferebatur ad animam. Præterea plures sunt amores, quàm tres, in homine ipso, secundum Platonicorum scholas: primus quidem intellectiuus, qui desiderium est fruendæ pulchritudinis, quæ est in rebus intelligibilibus: est & sensitiuus, qui est triplex: nam si est desiderium fruendæ pulchritudinis per uisum atq; auditum duntaxat, amor est intentionalis: hoc enim intentionaliter desideramus frui pulchritudine, quæ est tum in uocibus, atq; sonis, tum in uisilibus, atq; aspectibus,

clibus, & dicitur intentionalis, quoniam intentionali quadam sensitiua fruitione per usum, uel auditum duntaxat expletur: forma enim corporea per usum, uocum autem consonantia per auditum fruimur. Si autem est desiderium fruendæ pulchritudinis per sensus ipsos corporeos, per olfactum, gustum, & tactum, qui sensus sunt magis corporei, & quidem sine appetitu ueneris, sic est tertius amor: differt autem hic amor ab illo, quippe cum ille sola intentionali fruitione adimpletur per usum, & auditum, hic uero reali, quia est per tactum, olfactumq;, atque gustum, qui corporei magis sunt. At si est desiderium fruendæ pulchritudinis per omnes sensus, per appetitum ueneris, ut pulchrum generet in pulchro, uel ex pulchro, sic est quartus amor, & hic differt à cæteris: non enim huiusmodi amor expletur sine usu ueneris, cæteri uero, si sunt possibiles, sine usu ueneris perfici possunt: & quoniam hi quatuor amores pertinent ad hominem, omnes humani dici possunt. Quare non recte Ficinus autumat, quum asserit quartum amorem ferinum esse: quartus enim amor cupidineus est, qui in animalibus mutis non accidit, quippe cum illa desiderent uti fœmina propriæ speciei nulla ratione habita ad pulchrum, sed solum, ut in ea sibi simile generent. At cupidineus amor primo, principaliterq; desiderium est fruendæ, atq; utendæ pulchritudinis in pulchra fœmina, ut pulchrum in ea, & ex ea generetur. De hoc quarto amore Poëtæ omnes amatoria scribentes locuti sunt, quem Cupidinem Veneris fuisse filium fingunt. Hic amor usq; adeo interdum in aliquibus increuit, ut transierit in eum morbum, quem cordis insaniam medici appellant, qua affligi ij solent, qui perdite amant.

Vtrum

Vtrũ possit esse humanus aliquis amor absq; trãsitu in cupidinem, hic disputatur. CAP. XVI.

QVòd intellectiuus amor, qui ad hominem spectat: absolui possit à cupidine, nemo est qui dubitet: nam experientia ipsa hoc docet in sanctis, heroicisq; uiris, in quibus animus solum ad diuina bona raptus est. Quòd uero aliquis sensitiuus absolui etiam possit, ut intentionalis amor, quo frui cœlorum ornatu per uisum, sonorum harmonia per auditum desideramus, demonstratur: per hunc enim rapi possumus ad desiderium fruendi multorum, ab omni amore cupidineo absoluti. Sed utrum intentionalis amor, quo per uisum, atq; auditum pulchritudine frui desideramus in puella pulchra, aut in pulchro iuuene possit absolui ab appetitu ueneris, cupidineoq; amore, hoc est quæstione dignum: nemo enim frui posse uidetur ipsa humana pulchritudine per omnes, aut aliquos humanos sensus, qui eiusdem utendæ desiderio non afficiatur. Quare nec amor fruendi pulchri humani esse poterit absque desiderio ueneris, cupidineoq; amore. Ficinus id fieri posse in contemplatiuis hominibus, quinetiam in moralibus aperte fatetur, qui uel ex humano amore ascendunt ad mentem, uel in morali ipso amore persistunt. Viri enim heroici, atque sancti, qui appetitum sensitiuum recta admodum ratione moderantur per uisum, atq; auditum humano pulchro, & in puellis, & pueris frui possunt absq; desiderio utendi: non enim eorum appetitus recta ratione regularetur, nisi altero sine alterius desiderio frui possent. Idem quoq; testantur Socrates, & Anaxarchus, qui rationis moderamine affecti non semel humano pulchro fruentes ueneris desiderio nequaqua uisi sunt affici.

Xenocrates dimisit Phrinen à lecto abire, & quidem intactam, qua & uisu & auditu per noctem fruitus est, quod non ob aliud feciſſe uidetur, niſi quia appetitum ratione compreſsit. Inſuper pater modeſtus, ac temperans per omnes uidelicet, ſenſus ſaltem per uſum, & auditum filiæ pulchritudine frui poteſt, abſq; eiuſdem utendæ libidine. Quòd ſi pater hoc facere poteſt, cur heroicus uir, atq; ſanctus, qui cũcta rationis moderatione agit, idem facere non poterit? In meipſo expertus ſum multis diebus in Fuluia aulica tua Ioanna illuſtriſsima uidiſſe pulchritudinem in moribus, & audiſſe gratiam in elocutione, quibus non deſcendi in cupidineum ipſum amorem. Sed pace tantorum uirorum dixerim, non arbitror fieri poſſe, ut pater pulchritudine in filijs, aut uiri heroici, ſanctiq;, aut Philoſophi in puellis, puerisq; fruantur ſine ueneris appetitu, ſi fruitio, ut ſuperius diximus, ſit quies in uoluptifico, iucundoq;, eouſq;, quouſq; uidere, atq; audire id delectat, & eius abſentia fuerit dolorifica: cum enim aliquis quieſcit in aliquo pulchro iucundo, ſibiq; uoluptifico, cuius poſtea abſentia dolet, triſtaturq;, hic in cupidineum ipſum amorem prolapſus eſt: ergo impoſsibile uidetur, ut quis in puellis puerisq; pulchritudine fruatur ſine ueneris appetitu: quanto minus id fieri poterit, ſi per corporeos ipſos ſenſus fruitio fiat, ut per guſtum, qui baſijs, per olfactum, qui odore, per tactum, qui lenitate perficitur? Fauent huic ueritati uiri ſanctiſsimi, ut Hieronymus, quum inquit, Fœminã quam uides bene conuerſantem, mente dilige, non corporali frequentia, quia initium libidinis in uiſitatione mulierum eſt, & mundus cum mulieribus non melius quàm fugiendo uincitur, quia cum cæteris uitijs & morbis quis poſſet

posset repugnando resistere, huic tamen nō potest nisi per fugam. Insuper & alibi inquit, Si mulier potuit uincere eum qui iam erat in paradiso, non est mirum. si eos impediat, qui nondum ad paradisum peruenerūt. Præterea ait, Solus cum sola non sedeas in secreto absq; arbitro, & teste. Et iterum, Nec sub eodem tecto cum muliere manseris, nec in præterita castitate cōfidas, quia nec tu Sampsone fortior, nec Salomone sapientior. Et propterea concludit, omnes uirgines Christi, & puellas aut æqualiter dilige, aut æqualiter ignora. Diuus uero Aurelius etiam inquit, Sermo breuis, & rigidus cum mulieribus est habendus. Bernardus etiā uir omni sanctitate præclarus, Quotidie, inquit, conuersaris cum muliere, & cōtinens uis putari? Esto quòd sis, maculam tamen suspicionis portas, scandalum mihi es. Quibus perspicuum est, fieri non posse, ut aliquis in puellis, puerisq; pulchro per omnes, uel aliquos sensus fruatur, qui ad cupidinem sæuum non rapiatur: nec fieri posse, ut aliquis pulchram amet puellam, in quo desiderium non ultra aspectum, auditúmue diffundatur: oculi nāq; cum puellæ pulchræ occurrerint, eam mox amant, adamatā uero desiderant, desideratā sperant, speratam possidere enitūtur: hic enim ordo in amoribus semper fuit. Sed dices, ut Horatius putat, hæc quæ dicta sunt uera esse de iuuenibus: nā senes semimortui, qui sexaginta annos peragrarunt, amare possunt sine appetitu ueneris: propterea Horatius affirmat se zelotypia eius uiri non affici, cuius ætas octo lustra adimpleuerit: sunt enim hi semimortui, qui nulla cupidinea libidine uexantur: propterea nonnulli in amore senes uenire posse usque ad basia asserunt: contra quos Hieronymus uir castissimus, inquit,

inquit, Licet horum corpora sint mortua, dico tibi: quoniã Diabolus uiuit, cuius flatus prunas extinctas ardere facit. Quare licet huiusmodi senes in amoris fructũ nũqua peruenire possent naturæ imbecillitate, tamen mẽte ad eam sæpe copellũtur. Occurrũt & alij: nã cũ triplex sit amicitia, triplex erit amor. Quare cũ amicitia officiosa esse possit inter aliquos, siue uoluptifica, atq; omnis alia amicitia, cur amor honestus, atq; officiosus propter uirtutes, quæ sunt in pueris, puellísue ipsis pulchris esse nõ poterit absq; appetitu ueneris? Diuinus ille Aurelius respõdit, cũ inquit, nec tamen, quia sanctiores fuerint, ideo minus cauendæ, quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt, & sub prætextu blandi sermonis immiscet se uiscus impũßimæ libidinis, crede mihi. Quare licet officiosa amicitia esse possit inter aliquos, non tamen, nisi illi fuerint æquales ætate, sexu atq; moribus similes, ut postea differẽdum est: si enim altera fuerit ætate prouectior, alter autem pulcher puer, aut pulchra puella, statim cupidine irretietur prouectior. Sed iterum obijcies, nónne uir cõtemplatiuus uidere, & audire potest pulchrum in puellis, pueriśq; ipsis sine appetitu ueneris? Diximus hoc fieri posse, uerum nullus frui pulchro in his potest, nisi apetitu ueneris, si fruitio sit quies in uoluptifico, iucundoq; sibi, eousque, quousque id uidere, atque audire delectat, & eius absentia fuerit dolorifica: nam ut diximus, si quis quieſcit in aliquo pulchro iucundo, sibiq; uoluptifico, cuius postea absentia dolet, atq; tristatur: hic in cupidineum amorem prolapsus habetur. Hoc pacto nec pater filijs pulchris, nec sanctus puellis frui poterit sine ueneris desiderio, nisi fortasse diuino miraculo id fieret. Post hæc de amore, atq; cupidine

ipso

ipso differendum secundum Peripateticos.

De amabilibus. CAP. XVII.

QVoniam amor, ut dixit Socrates, relatiuum quippiam est, & quidem ipsorum amabilium, ideo oportet de amabilibus differere, quorum amor relatiuum, uel relatio est. Est igitur amabile triplex: cum enim non omni quoduis amatur, sed ipsum amabile: hoc autem aut simpliciter bonum, aut iucundum siue delectabile, quodq; uoluptas etiam dicitur, & tertium est, aut utile: dicitur autem id utile per quod efficitur bonum, uel uoluptas. Quare ipsum simpliciter bonum, atq; uoluptas, siue iucundum, amabilia sunt, ut finis: ipsum uero utile, ut ducens, aut seruans fidem. Libro uero primo Rhetoricorum Aristoteles dicit id esse simpliciter bonum, cuius gratia alia, quæ ad ipsum ducunt, appetimus: & sic felicitas, atq; felicitatis partes sunt simpliciter bona, ceu uirtus, diuitiæ, robur, sanitas, & pulchritudo. Hac eadem ratione uoluptas, siue ipsum iucundum dicitur simpliciter bonum: sunt igitur duo per se bona, ut quæ sunt honesta, & quæ sunt uoluptates: hæc enim ambo per se expetuntur: bonum uero, utile definiens, inquit, id esse bonum utile, quod per se, atq; simpliciter bonum aut seruat, aut efficit, aut sic antecedit, ut ipso posito ipsum simpliciter bonum esse sequatur, aut quod arcet, ac corrumpit horum bonorum contraria, è quibus simpliciter illa bona extingui possent. De his Aristoteles satis in libro primo Rhetoricorum, & octauo Ethicorum. Sed occurres, utrum homines ament id quod est simpliciter bonum, an id quod sibiipsis bonum. Aristoteles respondet, id unumquenq; amare, quod bonum est sibi: quippe cum quælibet potentia feratur in obiectum (ut ita dixerim)

rim) sibi proportionatum atq; idoneum, accõmodatumq; ceu uisus cuiusq; id uidet, quod sibi idoneum uisibile est, atq; accommodatum: nec oportet, ut amans id amet, quod re uera est sibi bonum, sed quod appetit sibi tale: siquidem appetitus non fertur in aliquid, nisi id prius apprehensum, atq; apparens fuerit: hoc enim amabitur, ac si sit sibi bonum.

De differẽtia amoris & amicitiæ. CAP. XVIII.

His distinctis oportet prius de amoris, amicitiæq; differentijs differere: nam postea facile de cupidine erit pertractatio. Differt igitur amor primo ab amicitia: quia amor simplex esse potest in sola amatione consistens. At amicitia semper componitur ex amatione, & redamatione. amamus enim inanimata, quorum non est amicitia, nõ enim ab eis redamari possumus. Deinde amor fusior est ipsa amicitia, propter eandem causam: amamus enim inanimata uegetabilia, necnon & muta animalia, cum quibus non habemus amicitiam. Præterea amor appetitus est sensitiuus, amicitia autem non omnis, sed uoluptifica tantum. Rursum in amicitia, qui se amant, necesse est ut se agnoscant. Amor esse potest inter eos, qui nec se uiderũt, nec audierunt, nec aliquo sensu se agnouerũt: non enim esse potest amicitia inter aliquos, nisi ut Aristoteles inquit, inter eos sit beneuolentia non latens: multi enim beneuoli erga illos sunt, quos nunquam uiderũt, quòd eos uiros aut mulieres bonos, uel utiles, uel uoluptificos esse putent: atq; fieri potest, ut illorum etiam quispiam similiter erga hos afficiatur. Erunt igitur hi mutuo sibi beneuoli, amici uero haudquaquam. Ad hæc amicitia si inter aliquos nasci debet, longo tempore opus est, ut qui amice se amant

amant, ac mutuo, longo tempore se cognoscant tales, quales sunt, qui huiusmodi amicitia sunt digni. secũdum enim prouerbium, non fit, ut mutuo se cognoscant, priusquam simul consumant salis modium. Est & alia ratio: quoniã amicitia habitus est, qui fieri non potest, nisi ex pluribus, ac pluribus actibus amoris, longo uidelicet temporum interuallo mutuo collatis. Insuper non oportet, ut alter alterum sibi in amicum acceptet, nisi alter alteri appareat mutuo amandus, & ita esse mutuo credatur. At ut hoc fiat, non paruo opus est tempore: amor autem quandoq; unius ad alterum subito fit, potissimum iuuenis ad iuuenem: iuuenum enim amor ob uoluptatem constat: amant enim se amore affectus, aut (ut ita dixerim) concupiscentiæ potius quàm amicitiæ, siue beneuolentiæ, & id maxime sequuntur, quod sibi mutuo est iucundum, atq; præsens. Verum quum mutatur ætas, alia fiunt & ipsa iucunda. Quocirca cito mutuo sese amãt, citoq; ab amore desistunt, eodem die propositum sæpe mutantes. Verum de his postea.

De amoris nomine, deq; amicitiæ nomenclatura. CAP. XIX.

QVoniam amor, & amicitia nõ solum re differũt, ut dictum est, sed nomine, ideo de nominibus dicamus. Amor itaq;, qui pro desiderio cuiusuis boni, quouis modo boni accipitur, Græce dicitur ἔρως per o micron, ἔρως uero per o mega, cupido, qui est amor uoluptuarius, quanquam apud alios ἔρως per o micron, amor honesti dicitur, ἔρως autem per o mega cupido. amor uero pro appetitu, desiderioque cuiuscunque boni ἔρεξις, apud aliquos φιλία: At amicitia φιλία, & confinia uocabula, ut sunt ἐγγυάσθια, ξενία, πρόξενία quæ ratio docet, quemadmodum apud

apud Græcos & uocabula, & affectus differũt, ita apud Latinos differre, eãdem pol uim obtinebit ἀντιφὸς πρὸς ἀντιφως, nempe amatio, & redamatio, honesta, & uoluptaria. ἀντὶ enim interdum pro mutuo, atque æquali reciprocoq; accipitur: nam ut Seneca inquit, Venus duorum Cupidinum, qui gemelli sunt, mater fingitur. de his Poëtæ diuersa fabulãtur. Pausanias enim in Atticis fabulatur Athenis aram dicatam esse Anteroti, & fuit in causa, quoniã Meles Athenienſis parui faciendo Timagoram, præcepit ei, ut ab altißimo monte se præcipitem daret, quo executo mandato cum Meles eum mortuum inspexisset, in dolorem tantum deuenit, ut se ab eodem loco præcipitaret, quã ob causam incolæ in honorem Anterotis aram constituerunt: quoniam Timagoræ iniuriam ultus est. Themistius uero uir doctißimus fabulam fingit, quia est Philosophus, cuius est, ut Aristoteles inquit in Rhetoricis, conficere fabulas, & illius interpretationem subscribit, quum inquit, Temporibus, quibus Venus Cupidinem genuit, puer ille longe pulchrior ipsa matre omnibus uidebatur, uerũ proceritas illius haudquaquam increscebat pro ratione formæ: hanc rem & Venus & pueri, nutricesq; permoleste ferentes, Themidis oraculum (non enim pro eo tempore in Delphis Apollo respondebat) supplices orarũt, ut remedium, si quod esset, afferret, quo puer crescere posset, pro tantæ formositatis complemento. Themin autem respondisse ferunt, id à pueri natura proficisci, qui fortasse solus nasci, non autem solus increscere potest, nisi alter gemellus aderit, quo adaucto, & Cupido tuus augebitur, sicq; Anterota Venerẽ peperisse tradunt, qui ut gemellus Cupidinis à poëtis fingitur, cuius præsentia Cupido, si augeri desiderat,

deſiderat, egere uidetur: nam quo Anteros creſcit, eo Cupido maior fit: quæ Themiſtius interpretando, aſſerit, eum, uel eam, quæ amari exoptat, redamare eniti: quoniam ſi Cupido mutuus, ac reciprocus non fuerit, cito euaneſcit. Sunt igitur Eros, & Anteros, amatio, & redamatio cupidinea: ex his enim perfectus amor conſtat, qui ſemper creſcet in dies: qui enim amari ſperat, longo tempore amabit, ac magis, quo magis ſperabit. Contrà uero qui non ſperat, etſi quodam tempore amare poterit, longo tamen haudquaquam. Vnde & in prouerbio dicitur, ſine amore amor tãdem peribit. Ab Erote autem non perperam uidentur eſſe dicti Heroës, qui & ſemidei appellantur, quòd geniti fuerint ab ipſius Dei amore erga fœminas mortales, aut contrà ab hominum amore erga Deas. De uſu uero huius uerbi amor apud M. Tullium intelligitur pro omni appetitione, deſiderioq; cuiuſque rei bonæ. Vnde & camporum, & armentorum, & amicorum, & gloriæ, & ſuimet, & Terentiæ uxoris, & Tulliolæ, & Marci filiorum, & Q. fratris appetitionem amorem M. Tullius dixit: & Ariſtoteles tam animatorum, quàm inanimatorum appetitionem etiam amorem appellauit. Virgilius etiam dixit patriæ, & patris Anchiſæ, & ciborum, & laudum appetitionem etiam amorem, dixitque Bacchum colles amare, omnibusque communem eſſe amorem. eadem, ac ſimilia in Horatij libris ſæpe leguntur; necnon & in cæterorum Poëtarum poëmatibus. Amorem quoque erga Deum dicimus, ſed modeſtiore, ac honeſtiore uerbo charitatem, ut Hieronymus autumat, tametſi Dionyſio uiro diſertiſſimo uerbum amor uideatur honeſtius, quod tertiæ in diuinis perſonæ

sit accommodatum, & utcunq; fuerit desiderium fruendi Dei, Philon Platonicus, cæteriq; catholici amorem dicũt. non nunquam etiam amor in scriptura pro bona uoluntate accipitur: qua ratione sit, ut amor, qui Græce aut ἔρως, aut ἀγάπη dicitur, nomen commune sit omnibus appetitionibus accommodatum apud Latinos autores tam natiuis, naturalibusq;, quàm uoluntarijs, atque intellectiuis: hinc species plures fuerunt, uidelicet amicitia, beneuolentia, dilectio, sodalitas, hospitalitas, cupido, charitas, libido, siue ferina concupiscentia, necnon & cupiditas: omnes enim sub amore, tanquam sub genere continentur. Quo uero modo amor & amicitia differant, superius diximus. nam amicitia non dicitur unius ad alterum, nisi fuerit inter eos mutua beneuolentia, & non latens, & tam diu constans, ut in habitum transierit. At amor esse potest unius ad alterum absq; mutua beneuolentia, & latens, & non diu constans, ut habitus. Amor etiam, & beneuolentia differunt: nam beneuolentia animi desiderium est, quo quis alteri bona uult, atq; benefacere appetit, quæ Græce dicitur εὐνοία: at amor, atq; cupido esse potest sine appetitu bene uolendi, atq; bene faciendi, ut diximus superius. Catullus enim postquam Lesbia nupta esset, eam plus amabat, quoniam maiore fruendi desiderio afficiebatur: nitimur enim in uetitum: minus autem ei bene uolebat, quod quomodo esse possit, posterius differendum. Præterea ex amore nascitur beneuolẽtia: nam, ut Cicero inquit, amor, ex quo amicitia nominata est, princeps est ad beneuolentiam coniungendam. Amor insuper, & dilectio differunt: nam apud M. Tullium amare maioris uis est, quàm diligere: apud tamen Terentium contrarium legitur, & hoc modo

utunt

utuntur catholici: dicimus enim patrem filios diligere, & nos diligere Deum ex toto corde nostro. Sunt qui dilectionem ad uoluntatem, amorem ad appetitum sensitiuum referunt. Differunt quoq; amor, & cupido: nam amor singulari numero plerunq; honestus est, ut amor fraternus, amor patris ad filium, ut apud Ciceronem legitur: cupido uero desiderium est fruendi pulchro per omnes sensus in homine, quibus pulchri species defertur ad animæ partem imaginariam propter uoluptatem, quæ sentitur in Venere, ut postea disputabimus. Cupido hoc pacto Græce dicitur ἵμερος, cuius frater gemellus ἀντέρως etiam, ut diximus, appellatur. Hic Cupido potest esse moralis, si desiderium fuerit generandi pulchrum in pulchro, non præter legem. Lasciuus uero, atque malus, spuriusque si fuerit propter uoluptatem, quæ sentitur in Venere tantum, & præter legem, uel propter generationem pulchri in pulchro, etiam præter legem. Dicitur etiam cupido hoc pacto amores plurali numero: amores enim Cupidines gemellos Veneris filios propter causam, quam diximus prius, ueteres dixerunt. Amor etiam, & charitas differunt: primo quidem quòd amor genus, species autem charitas sit: nam ille ad omnes res, hæc ad hominem tantum pertinet. Deinde, ut Cicero inquit, homines quum ob Deum, & patriam mouentur, charitate moueri dicimus: quum autem ob fratres, coniuges, filios, atque amicos honestos, & ob honesta ipsa, amore. Bernardus uir omni sanctitate insignis, eo libello, quem de amore Dei scripsit, asserit uoluntatem in amore, amorem uero in charitate, charitatem deniq; in sapientia crescere: quòd charitas nihil aliud sit, quàm Dei illuminatus amor, quem nec

Aristoteles, nec Plato, nec alius philosophus de Deo habuit, qui solo naturali lumine fuerit illuminatus. Verum de his posterius differendum. Differunt autem amor, & ferina concupiscentia: nam ferina concupiscentia desiderium est in animalibus mutis utendi fœminis suæ speciei, ut in eis, ex eis sibi similia generent. At amor genus est ad omne desiderium cuiuscunque rei, quæ appetenti est aut uidetur bona, & hoc Virgilius affirmat, ut superius retulimus. Amor etiam, & cupiditas differunt: cupere enim eorum est, quæ in specie sunt, & hoc pacto ea cupiditas, quæ cibi est, fames, quæ uero potus, sitis appellatur: quæ autem ueneris, si cuius rei fuerit, non additur, libido dicitur: est enim libido cupiditas, quæ non expletur, nisi per obscœnas corporis partes. apud alios uero libido accipitur pro ipso coitu, qui non expletur, nisi per obscœnas, ut diximus, corporis partes: nos uero de licentia appetitum coëundi libidinem uolumus appellari. amor autem, ut diximus, genus est, cum sit desiderium cuiuscunq; boni. Quæres autem, utrum qui optat amat? si enim optamus, quæ non speramus, qui optat non amabit, cum amare sit eorum, quæ speramus. fortasse dicendum, amorem esse posse eorum, quæ non speramus, sed non diu durantem: uel dicendum, amorem quum generatim intelligitur pro desiderio cuiuscunque rei bonæ, quouis modo, optare erit amoris species.

De Veneris nomenclaturis. CAP. XX.

POst hæc de Venere, Venerisque nomenclaturis dicendum: nec omnia, quæ de Venere Poëtæ fingunt, prosequi uolo, proficisceretur enim oratio nostra ad immensum, sed solum, quæ ad nostrum propositum faciunt,

ea

ea breuibus assumere enitar. Venerem igitur nonnulli in generandi potentiam, nonnulli uero in genitalis seminis emissionem retulerunt. Seneca Venerem pro ipsa seminis genitalis emissione intelligit ubiq;: Platonici uero pro generandi potentia. Et licet Plato, Platoniciq; ipsi in re hac haudquaquam sibi constent, tamen breuibus resumam quæ ueriora uidentur eis. Dicamus igitur unam Venerem diuinam esse, quæ est in Deo, alteram cœlestem, quæ est in cœlo, tertiam humanam, quæ est potentia in humana anima: sunt qui & quartam addunt in mundana anima, quæ in Deo Venus est, si in essentiam Dei referatur, Saturnũ, si in uitam, Iouem, si in ipsam Dei intelligentiam, Venerem uocant. & sicuti in Deo multiuoca est Venus, ita in ipsa mundi anima: nam ut superna percipit, Saturnus, ut cœlorum motricem habet potentiam, Iupiter, ut uero inferiora generat, Venus nuncupatur. Insuper ut hæ Veneres multiuocæ ita cœlestis stella, quæ sub sole, & supra Mercurium est, multiuoca reperitur, nã cũ ante Solem graditur, φωσφόρος Græce, Latine lucifer, cum autem subsequitur, ἕσπερος, Latine uesper, ac uesperugo dicitur: sunt qui eam Dianam, ut Lucianus affirmat, Virgilius, & Pacuuius iubar appellant. Humana uero Venus duplex est. altera uis intelligendi est, quæ mens, siue intellectus est, quo & diuina, & omnia intellectilia intelligere possumus: huius semen est species rei, quæ intelligitur, & fortasse phantasma apud Auerroëm. altera est facultas generãdi, quæ adhuc duplex est, sicut duplex est semẽ, ut Plato inquit in Symposio: est enim semen corporeum, quo cum implẽtur homines, cupiunt aut illud emittere in humano pulchro, ut gene rent pulchrum in pulchro, & hoc modo uiri appetunt, cu-

piunt enim ſemen emittere in uterum pulchræ fœminæ, ut in ea pulchrum efficiant, aut illud recipere ab humano pulchro, ut ex illo in ſe pulchrum concipiant: & hoc pacto mulieres appetunt: appetunt enim recipere ſemen à uiris, ut ex eis concipiant pulchrum in ſe ipſis. Eſt inſuper aliud ſemẽ, ut ita dixerim, animaſticum, & hoc uirtutum, atq; morum concinnitas, ac cumulus eſt, quo cum quis fuerit plenus, deſiderat emittere ipſum in alterius uiri animam, ut generet in ea pulchrum, cum ipſa ſit & pulchra. qua ratione fit, ut ſit multiplex amor, quemadmodum multiplex eſt ſemen, & multiplex Venus. nam appetitus intelligendi, quo frui deſideramus, natura intelligere, ac frui intelligibilibus pulchris amor eſt intellectiuus: amor uero, quo deſideramus emittere ſemen animaſticum, eſt amor modeſtus, atq; moralis, qui ſi habitu fuerit firmus, mutuus, & non latens, in amicitiam officioſam tranſit. Quòd deniq; deſideramus genitale corporeumq; ſemen emittere, amor eſt cupidineus, qui etiam ſi inter ſexu diſſimiles mutuus, non latens, habituque firmatus fuerit, ſpecies uoluptuoſæ eſt, modeſta quidem, atque moralis, ſi fuerit ſecundum leges, ſin autem præter leges, amor eſt uoluptarius. Sunt qui, ut Plato inquit, duplicem Venerem diſtinguunt etiam in maſculam, & fœminam. Eſt Venus maſcula potentia, qua quis poteſt & appetit ſemen genitale emittere aut in pueros, aut in fœminas non per locum idoneum: nam quemadmodum duplex amor eſt, alter erga pulchrum in pueris, alter erga pulchrum in puellis: ita duplex eſt potentia emittendi ſemen: altera qua quis natura appetit, & poteſt ipſum emittere in pueros, & hæc maſcula Venus appellatur: altera qua quis natura poteſt, appetitq;

petitq;

petitq; emittere in fœminas pulchras per debitum, idoneumq; locum, & hæc dicitur Venus fœmina: nam si per locum non idoneũ in fœminas emittere desideraret, fortasse hic adhuc masculà Venere afficeretur. Fabulosa uero, quæ Poëtæ de Venere narrant, breuitatis causa prætermittimus. Illud autem non est prætereundum, per Venerem nos in libro nostro plerunque intelligere seminis emissionem, qua semen emittitur aut uoluptatis, aut generandi causa: uel semẽ ipsum emissum, quod in fœminas, puerosq; perficitur delectandi gratia. Cum igitur Poëtæ fabulantur Venerem natam esse ex Ioue, atq; Dione, quæ una est ex Oceani nymphis, è qua Venus dicitur Dionea, uolũt dicere semen fieri à cœlo, cœliq; potentia, qua sphæræ perpetua rotantur uertigine: per Iouem enim aut cœlum, aut cœli potentiam intelligunt: & ex humiditate, quæ excrementum est ultimæ concoctionis. hæc enim humiditas materia seminis est, quæ in semen genitale conuertitur uirtute testiculorum, quemadmodum in hac ui mamillarum sanguis ipse mutatur. Venus igitur ex Ioue, & Dione hoc pacto genita censenda est. Dioni enim Græce, Latine humidum est apud nonnullos, & hac ratione mater Veneris fingitur, quatenus semen ipsum emissum, quod Venus est, ab humiditate proficiscitur: in Ioue enim uis calida est, & humida, unde uita, & alimentum Dioni certe patronymicum est, à Ioue nempe Iouis filia.

De diuisione amoris, deq; Cupidinis nomenclaturis. CAP. XXI.

CVm uero amor distingui possit, non solum propter obiecta, quæ sunt ipsa amabilia, sed propter

uirtutes, potentias ac subiecta, è quibus, & in quibus consistit: ideo dicamus multiplicem esse amorem: qui quia est in ipso Deo, diuinus dicatur: alius est angelus, quia in angelis est: alius est hominis, qui propterea dici potest humanus: alius est naturæ, qui & naturalis propter eandem causam appellatur. Humanus amor multiplex est: est enim aut hominis ad hominem, & hic est multiplex, quia aut est inter masculos, qui sexu sunt consimiles, ceu inter Patroclum, & Achillem: aut inter fœminas, ueluti inter Ladam, atque Maiam, quæ etiam sexu conueniunt: aut tertio est inter masculum, & fœminam, qualis inter Orpheum, & Euridicen, itemque inter Alcesten & Admetum, qui sexu discrepant: aut quarto est sui ad se, & hic amor apud Græcos φιλαυτία dicitur, hoc est amor sui: aut est hominis ad res, quæ non sunt homines, & hic est multiplex: quoniam aut est hominis ad res naturales, quæ citra humanam naturam collocantur, ut est hominis ad res inanimatas, artificiales, uel naturales: aut ad res animatas, cœlestes uidelicet, uel ad animalia, aut ad plantas, stirpesque: aut est ad res quæ sunt supra homines, ut uel ad Deum, uel ad angelos. Amor uero, qui nascitur ex Venere, hoc est, à plenitudine seminis genitalis, cupido est. Et cum Venus sit duplex, masculla uidelicet, quæ semen est inclinans animum ad amandos pueros: & fœmina, quæ semen est, quo animus rapitur ad amorem puellarum: iccirco Cupido geminus est, alter cinædicus, qui erga pueros uersatur, alter muliebris, qui erga mulieres animum rapit. Dicitur autem cupido, Græce ἵμερος, cuius gemellus ἀντέρως appellatur: quia, ut superius diximus, perfectus cupido componi debet ex amatione,

atq;

atq; redamatione.

De desiderio. CAP. XXII.

ET quoniam desiderium ponitur in definitione amoris, ut genus, consequens est dicere de desiderio: primo enim aspectu desiderium cupiditas, & appetitus eadem uidentur esse. Aurelius uero asserit amorem esse extensionem quandam, qua uoluntas extenditur ad quamuis rem appetibilẽ, cum primũ nobis obijcitur: est enim amor, ut inquit, ea prima mutatio, quam in mente factam esse percipimus ab ipso mouente appetibili, cum primum nobis occurrit: quæ, ut dicunt, quamprimum accidit, non est in potestate nostra: eo enim ipso quo nobis ipsa contingit, rapit nos ad amãdum rem, quæ primo mouit. Aut dicamus amorem esse (ut ita dixerim) placentiam primam, qua cum amabile, appetibileq; nobis primo occurrit, placet, ac delectat. Desiderium uero est motus factus in anima, & genitus ab ea placentia, quam amorẽ esse diximus, & à Græcis, ut Plato inquit, dicitur ἵμερος: eo enim anima qua si ui quadam trahitur, rapitur, ac mouetur in rem amabilem, atq; appetibilem. Dicitur etiam πόθος, quòd sit rei appetibilis amabilisq;, quæ abest, alibiq; est. Marcus uero Cicero amorem esse affirmat appetitum earũ rerum, quas habemus, possidemusq;, ac habuimus, possedimúsue, quásque ulterius possidere, atq; habere cupimus, aut ex æquo, aut magis in futurum: desiderium uero earum rerũ, quas nec habuimus, nec possedimus. apud uero Iuuenalem desiderium pro uehementi amore accipitur, quum dixit,

Cur desiderio Dibulæ Sertorius ardet.

Apud alios pro nimia cupiditate uidendi eum, qui abest, & proprie de rebus gratis, optatis, aut amissis dicitur:

hinc dicimus post pugnam desiderari milites, qui perierũt. Alij uero asserunt desiderium esse post amorem in rebus, quæ præterierũt, ac possessæ sunt: in rebus uero futuris desiderium prius amore. Sed quod ab omnibus fere asseritur, potissimum ab Aristotele tertio Ethicorum, est quòd quemadmodum graue eousq; mouetur, quousque in centrum, & leue quousq; in cœli concauum peruenerit, alioquin quiescet nunquam: ita quoq; appetitus noster ab appetitione quiescet nunquam prius quàm in idipsum peruenerit, quod à principio appetebat, modo ratio, quæ nostri appetitus, ut Aristoteles inquit, pædagogus est, cum non moderetur. Amatorius itaq; motus, quo appetitus in amabile proficiscitur, primo ab amore incipit, è quo in desiderium, nisi ratione moderetur, aduolat, in spem uero procedit: demum post hæc tandem in uoluptifico ipso amabili, quod à principio amare cœpit, quiescet eousq;, quousq; ab eo uoluptate afficietur. Sed occurres, Nam desiderium in amoris definitione ut genus collocatur. Ergo desiderium ipso amore est uniuersalius, atq; fusius. Sed propterea dicendum eos, qui amorem per desiderium definierunt, ut Platonici, nõ amorem pro appetitu cuiuscunq; boni accepisse: sic enim est ipso desiderio fusius, ac uniuersalius: sed pro desiderio pulchri: & hoc pacto sicut pulchrum est in ipso amabili prestius: sic amor est ipso desiderio minus communis: hac enim ratione amor solius pulchri esse uidetur, at desideriũ etiam omniũ amabiliũ. Amabile autẽ pulchro ipso fusius, ac uniuersalius esse, nemo est qui dubitet.

De proprio obiecto amoris, amicitiæ & uoluptificæ. CAP. XXIII.

QVoniam iucundum, siue uoluptificum est bonum per

per se, quod per se, ut superius diximus, est amabile, ut finis: bona uero, quæ nos inducũt in fruitionẽ eius, sunt bona utilia, hinc enim ortus est amor uoluptarius, qui nihil aliud est, quàm desiderium fruendi uoluptifico. Hic autem amor si inter eos homines fuerit, qui sibiipsis sunt mutuo uoluptifici, atq; iucundi, nõ latẽs, atq; ex pluribus actibus uoluptificis ut habitus permanens, proculdubio, ut Aristoteles asserit, erit uoluptaria ipsa amicitia: qua ratione euenit, ut amoris uoluptarij, uoluptariæq; amicitiæ, propriũ obiectum sit ipsum iucũdum, quod uoluptificũ etiam appellatur, quòd uoluptatẽ ferat amãtibus, qui mutuo se amãt, aut ipsi desiderãti, qui uoluptatẽ desiderat. Vnde quemadmodũ amoris, amicitiæq; officiosæ bonũ honestũ est proprium obiectũ, amoris uero, atq; amicitiæ ab ipso iucundo atq; utili proficiscens, bonum iucundum atq; utile est: per hæc enim bona distinguũtur affectus, & habitus huiusmodi: & cũ affectus nasci possit uno ex actu, qui circa proprium obiectũ uersatur, habitus uero nõ nisi ex pluribus, atq; plerunq; circa illud idem uersantibus, fit, ut amor uoluptarius, amicitiaq; uoluptifica generetur ab ipso iucundo, uoluptificoq;, tanquã ex proprio, peculiariue obiecto, circa quod unus, aut plures actus uersantur eorum, qui circa ipsum proprie sunt apti fieri.

Quomodo pulchrũ ei sit amabile, atq; iucũdum, cui uidetur pulchrũ, & cur. CAP. XXIIII.

QVoniam pulchrum ea ratione ad amantem se habet, qua & ipsum bonum ad appetẽtem: nam qua ratione id quod est, ut Aristoteles inquit, aut apparet bonum appetẽti, mox ab eo natura quasi cõpellẽte expetitur: ita quoq; pulchrũ ipsum, quo amanti pulchrũ est, aut apparet, mox ab eo lege quadam naturæ cõpulsu amatur. Non

igitur ab ratione, pulchritudo mire afficit unumquenq; potißimum eum, cui offertur, aut uidetur pulchritudo. Sed undénam iſtud fiat, licet ex his, quæ nunc diximus ſatis perſpicuum ſit, tamen nonnulli cauſam afferunt: quoniam ducimur, ut uenereæ affectioni deſeruire formam exactiorem opinemur. Sed reprehendunt cauſam hanc Platonici, nam quanquam pleriq; in eam fœditatem feruntur præcipites, ut Euripidem arbitrantur collapſum eſſe, plerique tamen à pulchro ipſo rapi uidentur, qui haud quaquam in eam fœditatem collabuntur: propterea cauſam ex ipſa noſtra anima accipiunt: nam cum anima ſit id, quod naturaliter eſt, ac prope, & ſecundum eſſentiam in rerum ordine præſtantißima, ac pulcherrima, quandocũque cognatum ſibi quiddam, cognatiq; ueſtigiũ, quale ipſum pulchrum eſt, aſpexerit, congratulatur, & ſtupet: refertur enim in ſeipſam, ſuiq;, atq; ſuorum recordatur. Deinde anima rationalis proxime pendet ex mente diuina, è qua pulchritudinis ideam ſibi impreſſam ſeruat intus, cui quod congruit tanquam ſibi, patriq; cognatum libenter amplectitur: congruit autem ea in corporibus forma, quæ ad ipſam ideæ normã examußim compoſita eſt. Non mirum igitur ſit, ſi eo anima, cum ſibi occurrerit, congratuletur, & ſtupeat. Ad hæc quod diuinæ pulchritudinis imaginem fert, ipſum ſuapte natura amabile eſt, primoq; aſpectu ad ſe animos mouens, quemadmodum & ipſa diuina pulchritudo ſuapte natura à cunctis amatur, qui eam ſpectant. At quòd externa pulchritudo diuinæ pulchritudinis imaginẽ referat, nemo eſt, qui dubitat. Sed pace tantorum uirorum dixerim, hæ rationes rhetoricæ, non autem ueræ uidentur: prima quidem, quoniã ea conceſſa

ceſſa oportet fateri, animam pulchrũ quippiam eſſe natu ra, quod falſum eſſe ſuperius ex eo probauimus, quoniam pulchritudo, ut Plotinus etiam fatetur, nitor quidam eſt, qui ex harmonica partium, membrorumq; compoſitione reſultat. At cum in anima nulla ſit membrorum compoſi tio, nullus poterit compoſitionis nitor eſſe, neq; pulchritu do. Deinde anima non modo pulchri aſpectu congratula tur, ſed cuiuſq; intellectilis intuitu, cum ſit, ut tabula raſa, quæ apta eſt omni pictura congaudere. Magis igitur quia turpis eſt, congratulatur pulchro, cum omne imperfectũ, quod perfici aptum eſt, eo congaudeat, quo perficitur: ani mam autem eſſe imperfectam, atq; admodum turpem, de clarat is intellectus, qui, ut Ariſtoteles inquit, eſt poten tia omnia quod ab omnibus, quæ intelligi poſſunt, aptus, idoneusq; ſit perfici. Qua ratione euenit, ut anima potius pulchro gratuletur, quia turpis ipſa eſt, quàm quia pul chra. Quod etiam ſecundo loco iuduxerunt, longe magis rhetoricum eſt, tum quia Deus ipſe cum omni compoſitio ne careat, uacetq;, pulchritudine etiam uacet, neceſſe eſt, cum hæc ſit aliud nihil, quàm quidam harmoniacæ com poſitionis nitor, ut diximus, ex Homero, atq; Plotino. Quòd ſi Deus pulcher uulgo dicatur, non niſi quia bonus, bonitasq; ipſa eſt, intelligitur: nihil enim aliud in Deo pul chritudo eſt, quàm bonitas, ut ſit quaſi pulcher per æquiuo cationem quandam, ad modum, quo eum fortem, & ira cundum dicunt. tamen etiam quia dato, quòd pulcher, bonusq; ſit Deus, animam ſeruare imaginem intra ſe diuinæ pulchritudinis, improbant Peripatetici, cum ſit anima à principio quemadmodum abraſa ipſa tabella, in qua figu ra omnino nulla depicta eſt. Deinde ſi pulchritudinis ideã

intra

intra se seruaret, omne pulchrum cum ei occurreret, ex æquo gratiosum esset: quippe cum omne pulchrũ ideæ illi ex æquo cognatum esse uideatur. Quod tertio loco acceperunt, nõ minus cæteris rhetoricum uidetur: tum quia supponunt in Deo pulchritudinem, quæ si eadem ratione intelligitur, qua in corporibus est, haudquaquam uera est: tum quia si pulchritudinem uelint intelligere bonitatem, ipsumq; in se bonum, non solum pulchra externa diuinæ bonitatis imaginem, ac similitudinem referunt, sed omnes res, quæ sunt ab ipso Deo, cum omnes sint bonæ. Quare nõ magis anima congauderet pulchris, quàm cæteris bonis. Aristoteles igitur decimo libro Ethicorum aliam causam præbet ex maiore sensuum uigore circa pulchra, maioreq; cõueniẽtia: uidemus enim palã tum uisionẽ, auditionemq;, atq; cæterorũ sensuũ operationes esse iucũdiores, atq; gratiosiores, cum sensus ipsi maxime uigent in suis uirtutibus: maximeq; cum suis obiectis cõueniũt. Et quoniã longe magis sensus ipsi uigẽt, cũ pulchra ipsa senserint, longeq; magis cũ eis cõueniũt, quàm cum cæteris, quæ aut sunt turpia, aut pulchritudine uacãt, fit, ut pulchrorũ sensationes iucũdissimæ nobis sint, atq; gratiosissimæ. Cũ aũt ita fuerit, perspicuũ erit pulchra rapere animũ ad sui fruitionẽ, atq; ad desideriũ eorũ fruẽdorũ: si enim animũ rapuerit ad ea sentiẽda propter uoluptatẽ, etiã cum cõmouebit ad fruẽda, cũ fruitio, ut superius diximus, sit aliud nihil, quàm quies in eo iucũdo sensili, nobisq; uoluptifico, cuius absentia fuerit dolorifica, quietẽ dico eousq;, quousq; ea sentire delectat.

De amata puella, amatoq; puero. CAP. XXV.

QVoniam, ut superius diximus, humani sensus in corporeis ipsis sensibilibus, compositisq; rebus pulchritudines

pulchritudines perpendunt, quas muta animalia suis sensibus nequaquam sentiũt, cum pulchritudo, ut Plotinus inquit, nihil aliud omnino sit, quàm ex plurium congruitate, uenustateq; cooriens gratia, fit, ut hanc in corporibus nostris si uisu perpendas, coloribus, lineisq; mira coalescentibus congruitate decus gratissimum requiras, si auribus, auditúq;, uocum modulata consonantia eam audias, si olfactu, odoratúq; eam olfacias odorabilium eorum, quæ è nobis ipsis exhalant, suauitate, si gustu linguæ basijsq; oris, atq; labiorum, eam dulcedine degustes, sinautem tactu, eam lenitate, mollitieq; tangas, eorũ uidelicet, quæ in carnibus tactilia sunt, atq; in membris, per quæ expletur libido. At si in animo perpendas, morum concinnitate eam requiras. Quibus perspicuum quid amata, aut amatus sit: est enim amata ea puella, quam ui pulchritudinis, quæ animi & corporis est, omnibus sensibus frui desideramus, quibus in ea uniuersam animi, atq; corporis pulchritudinem perpendimus. Et quoniam amans ad amatam refertur, fit, ut is sit amans, cuius animus rapitur ad desideriũ fruendi huiusmodi puella, quæ sibi per omnes sensus gratiosa aut est, aut uidetur: non enim refert, sit gratiosa, aut non, modo amanti, ut diximus, uideatur, atq; appareat.

De uoluptario amore. CAP. XXVI.

SEd cum uoluptarius amor ex eo oriatur, quod est, aut nobis uidetur, uoluptifico: quemadmodum amor officiosus, ex eo, quod est, aut nobis uidetur, modesto: & amor perspicuus ex eo, quod est, aut nobis uidetur fructuoso, fit, ut uoluptarius amor desiderium sit fruendæ uoluptatis, ceu officiosus fruendæ modestiæ, & proficuus fruendæ utilitatis. Hic autem amor si inter eos est, qui sibi iucundi

iucundi, mutuoq; uoluptifici sunt, non latens, atq; ex mutuis uoluptarius actibus inter eos cadentibus in habitum diu firmatus, atq; fere immobilis, amicitia uoluptaria à Peripateticorum principe dicta est. Hinc fit, ut uoluptarius amor duplex sit habendus: alter, qui est affectus, quo uidelicet appetitus sensitiuus compellitur desiderio fruendæ uoluptatis: alter qui est amicitiæ, quoties habitu uoluptatum, quibus mutuo aliqui fruiti sunt, mutuo se amant.

De uoluptatis nomenclaturis. CAP. XXVII.

ET cum amoris, amantiumq; fidem præsertim cupidinis uoluptatẽ esse existiment, non ab ratione quædam de ipsa uoluptate tractemus, & primo de nomenclaturis: nam & apud Græcos est multiuoca, quemadmodũ apud Latinos, unde quẽadmodũ apud Latinos nõnunquã dulcedo, siue lætitia, sic apud Græcos χαρμοσύνη, siue χαρμόνη dicta est: & apud nos nõnunquã gaudium, sic apud eos χαρμὸν. apud tamen Platonem hæc aliqua ratione differunt: quippe qui menti lætitiam ascripsit, quam Democritus euthymiam dixit, & gaudiũ, uoluptatem autem sensibus mancipauit: & licet gaudium, atq; lætitiam menti attribuerit, hæc tamen discerniculo quodam dispescuit, quòd cum laude semper sit gaudium, at in uitiũ quandoq; labatur lætitia: est enim hæc animi elatio quædam boni cuiuspiam præsentia, quæ si moderationis mensus, limitésue transiliat, reprehensionis morsum nõ euadit, repressa uero, ac suis metita modulis, laude nõ uacat: gaudium autem esse iucunditatem sancit, quæ de contemplatione, aut uirtutis cuiuspiam maiestate profluat. Cicero tamen asserit hæc duo posse una uoce dici uoluptatẽ: nam uoluptas licet sensibus

sibus proprie adscribatur, transferri tamen potest etiam ad eas, quæ mentis sunt, quippe cum nullo, ut inquit, uerbo propriore ἡδονὴ dici possit Latine. Dicitur etiam Euthymia, quæ animi est iucunditas perquàm suauis: unde perexigua exiliat differentia, ut iucunditas menti quidem, & corpori sit communis, suauitas uero solius sit corporis, si à suauio deducatur. Et licet tam apud Græcos, quàm apud Latinos alijs multis nominibus uoluptas appelletur, his in præsentia erimus contenti. Verum quia uoluptas nihil aliud est, quàm doloris uacuitas, omnis uoluptas communi nomine dici potest indolentia, aut, ut Sidonius inquit, indoloria, quasi non dolor, quòd qui ea potitur, non doleat. Et quoniam de uoluptate fere omnes, qui de morali philosophia scripserunt, plurima dicunt, nos Aristotelem imitabimur, qui, quàm cæteri, neruosius, ac uerius de ea scripsit. cogimur uero de ipsa dicere: nam cum uulgares uoluptates, quas omnes fatentur, sint tres, & quæ in potu, & quæ in esu, & quæ in uenereis desiderantur, amantes, qui amore cupidineo conflictantur, ea quæ in uenereis desiderant cupidinearum uigiliarum finem quasi laborum tantorum mercedem constituunt. Quare cum de ipso cupidine futurus sit nobis sermo, de uoluptate est disserendum.

Omnes appetere uoluptatem natura. CAP. XXVIII.

QVoniam scientificarum quæstionum prima, ut Aristoteles inquit, est, utrum res sit: si probabimus omnes uoluptatem appetere, exploratum erit primo uoluptatem esse, deinde quòd sit bonum quippiam. Quare uoluptatem omnes natura appetere, primo nobis probandum.

dum. Hoc itaque Eudoxus, qui philosophus fuit modestissimus, ut Aristoteles testatur, argumento persuasit: quoniam uniuersa ipsam affectant, & quæ rationem habent, & quæ expertia sunt eiusdem. Aristoteles uero quòd sit nostro generi naturalis, familiarisque: cuius rei nobis argumento sunt pædagogi, qui pueros uoluptate, atque dolore eruditunt: pueri enim metu doloris à rebus turpibus abstinent, uoluptatis autem amore honestis student: hæc enim non faciunt ratione, quum nondum ad eius usum peruenerint, sed à natura edocti. Idem & alia ratione Aristoteles monet: nam & qui mente carent, & qui prudentiam habent, & qui praui sunt, eam affectant, quod esse non posset, nisi omnes natura compulsi illam affectarent, quæ est omnibus communis quasi eadem. Idem insuper Aristoteles demonstrauit ex naturali uiuendi desiderio: cum enim omnes natura uiuere desiderent, etiam id natura concupient, quod est uiuendi perfectio: hoc autem uoluptas est, atque delectatio, quæ omnem, ut inquit Aristoteles, operationem perfecit. Sunt qui alio argumento idem probarunt: nam, ut experientia docet, philautia, hoc est, amor nostri omnium desideriorum causa est. Sed desideriorum, cupiditatumque omnium uoluptas finis est: non enim cessant quousque ad quietem perueniat, quæ uoluptas est. Sed cunctis insita est natura ipsa philautia: omnes enim natura se amant. fit, ut omnibus uoluptatis desiderium connatum sit. hæc enim ratio efficax esset, nisi supponeret omnium desideriorum causam esse philautiam: quod est res disputatione digna, de qua posterius nobis sermo est.

Volup

Voluptatem esse bonum secundum Eudoxum. CAP. XXIX.

QVòd autem uoluptas bonum sit, ex his, quæ modo diximus, Eudoxus probauit. est enim ipsa appetibile quippiam, quare & bonum: omne enim quod expetitur, est, aut uidetur appetenti bonum: non enim refert: quippe cum multa uideantur appetentibus ipsis bona, ut febricitantibus nimius aquæ potus, quæ non sunt semper bona. Quare sequitur, ut uoluptas, quia expetitur, aut sit bona, aut appetentibus uideatur saltem bona. Deinde idem probauit, quoniam dolor est malus, cum eum omnes fugiant, etsi nonnulli ipsum ferant desiderio maioris uoluptatis, ut Cicero inquit. Quare uoluptas, quæ dolori contraria est, & appetitus, est quippiam bonum. Diodorus uero ideo uoluptatem esse bonum asserit, quia indolentiam finem nostrarum operationum probauit. Aristippus, qui sic uixit, ut nihil inter eum, pecudesque distaret, nisi unum, quòd loquebatur, uoluptatem esse bonum ex eo probauit, quòd uiuendi, atque generandi causa omnibus sit data.

Eudoxi opinio de uoluptate, & Epicuri CAP. XXX.

NEc solum bonum, sed summum omnium bonorum Eudoxus asseruit: primo quia est per se eligibilis: omnes enim uoluptatem eligunt propter se, & cætera propter uoluptatem: neminem enim interrogas, cuiusnam gratia capiat uoluptatem, propterea quia per seipsam uoluptas expetibilis est: quod autem per se eligitur, uidetur per se, simpliciterq; bonum: deinde quia si cuilibet bono additur, illud reddit magis bonum, ueluti cum iustus actionibus, temperatisq; adderetur: iusta enim actio cum fuerit, cum

uoluptate eligibilior est. Quare cum uoluptas omnium actionum bonitatem augeat, ipsa erit simpliciter, ac per se bonum quippiam, & summum bonum. Hanc opinionem Epicurus philosophus secutus est, qui post Aristotelem Epicureorum sectam condidit, non quia ueri aliquid afferat, sed quia multos ad populare nomen uoluptas inuitat: nemo enim non in uitia pronus est: ut enim ad se multitudinẽ contrahat, apposita singulis quibusq; moribus loquitur: nam desidiosum uetat literas discere, auarum populari largitione liberat, ignauum prohibet accedere ad rem publicam, pigrum exercere, timidum militare, irreligiosus auditur Deos nihil curare, inhumanus & suis commodis seruiens iubetur nihil cuiquã tribuere, omnia sui causa facere sapientem, fugienti turbam solitudo laudatur, qui nimium parcus est discit aqua & polenta uitam posse tolerare, qui odit uxorem huic enumerantur cœlibatus bona, habenti malos liberos orbitas prædicatur, aduersus impios parentes nullum esse uinculum naturæ, impatienti ac delicato dolorem esse omniũ malorum maximum dicitur, forti etiam in tormentis beatum esse sapientem, qui claritati ac potentiæ studet, huic præcipitur Reges colere, qui molestiam ferre nõ potest, huic regiam fugere. Ita homo astutus ex uarijs, diuersisq; modis circulum cogit, &, ut breuibus dicã, uiuere pro naturæ inclinatione summum bonum cuique appellat: quam etiam opinionem & Zeno, & Diogenes, & Archidemus, & Cleantes probarunt, asserentes hominis finem esse aliud nihil, quàm rationi obedire, quæ ea eligit, quæ naturæ cuiusque conueniunt: nam si simpliciter malum est, quod contra naturam fit, uidebitur simpliciter bonum, quod est secundum naturam.

Sed

Sed Aristoteles cum Platone de his rationibus diligenter disputat, quod cum sit prolixum, bona fronte prætermittimus.

Quòd non omnis uoluptas in se bonum, nec per se, simpliciter & bonum sit. CAP. XXXI.

ARistoteles philosophorum princeps opinionem hãc reprobat: & primo probauit non omnem uoluptatem esse in se bonam, licet alicui uideretur bona: Deinde quod dato, quòd uoluptas quippiam bonum sit, nulla est simpliciter, ac per se bonum. Quòd non omnis uoluptas sit bonum, argumento nobis est amicus, qui ab adulatore diuersus est: nam amicus ad bonum, adulator autem ad uoluptatem congreditur: & tamen amicus laudatur, adulator autem uituperatur: quod non esset, si uoluptas semper esset bonum. Deinde si uoluptas esset semper bonum, quouis modo esset eligenda. At nemo eligeret toto suæ uitæ tempore mentem habens, aut puerorum uitam, quæ ab omnibus putatur maxime uoluptuosa, aut eorum, qui turpissima semper agendo nullum unquam susceperunt dolorem. Postremo multa sunt, quibus homo summo studio incumberet, etiam si ipsis nihil uoluptatis fuerit permistum: eligeret enim unusquisq; uidere, recordari, scire, atq; uirtutes accipere, etiam si nulla prorsus ab ipsis prouentura esset uoluptas. Ex his & alijs Aristoteles concludit primo, non omnem uoluptatem esse bonum: immo sunt quædam prophanæ, atq; ferinæ, ut concumbere cum masculis: in hac enim actione apud quosdam, apud quos non erat penitus lege cautum, summa uoluptas habebatur, ceu apud Gallos, Lacedæmones, Athenienses, Cretenses, & nonnunquam apud Romanos, si Aristoteli, Eusebio, atque

Straboni est credendum, & filios comedere, ut de quadam muliere narrant, quam ferunt prægnantium uiscera rescindere, puerosq; comedere, & quod dicitur de quibusdam efferatis gentibus circa Pontum, alios crudis delectari, alios humanis carnibus, alios tradere natos ad inuicem, ut in conuiuijs comedantur. Sunt & aliæ naturales necessariæ, quæ ut medelæ sunt dolorum, ceu potus sitientienti, & famelico cibus. Aliæ naturales non necessariæ, quæ accidunt circa cibos, potusq; pretiosos. Sunt & aliæ nec naturales, nec necessariæ, quales sunt erigere statuam, uel id tale agere. Sunt insuper & aliæ puræ, integræq;, quales sunt in diuinis operationes intellectus, atq; uoluptatis. Sunt & aliæ per se bonæ, sed non nihil male habentes, ut intellectiones, & contemplationes hominis: hæ enim bonæ sunt, sed quia ad eas concurrit corpus, non nihil doloris habent. Insuper concludit, dato quòd omnes essent bonæ, non esse simpliciter, ac per se bonas, sed ratione operationum, quas perficiunt.

Voluptatem non esse motum aduersus Platonem. CAP. XXXII.

SEed utrum uoluptas sit motus, aut forma, quæ per motum acquiritur, est non parua digladiatio. Plato enim uoluptatem rem esse asserit, quæ motu fit, aduersus quem Aristoteles accipit, quòd sint nonnullæ res, quæ requirunt certum, statutumq; tempus, si debent generari, ut de homine perspicuum: requiritur enim tempus ad hoc, ut hominis generatio in specie perficiatur, quoniam motu fit, atq; uarijs generationibus. at uoluptas in sua specie perfici potest subito: nam ut uisio quouis in tempore perfecta est, nihil enim ipsi deest, quod postea factum illius speciem perficiat,

ficiat, tali perſimilis eſt & ipſa uoluptas: eſt enim quoddam totũ: nec ullo tempore uoluptatem capere quis poteſt, quæ ſi maiore tempore fiat, illius ſpecies perficiatur. Sed quid Ariſtoteles uelit, non eſt perſpicuum: nã fatentur omnes uoluptatem in aliquibus eſſe maiorem, in aliquibus minorem: quod autem eſt tale, eſt aut motus, aut per motum fit: propterea dicamus bifariam eſſe generationem, alteram cuiuſdam compoſiti, quod pro ſui generatione in ſpecie perfecta indiget multorum diſſimularium generationibus, qualis eſt ædificatio, quæ nunquã dicitur in ſua ſpecie perfecta, niſi multorum diſſimilarium, ex quibus ipſum ædificatum conſtat, generationes expleãtur: compoſitio enim lapidum diuerſa eſt ab erectione columnæ, & hæc rurſus à templi conſtructione. Quare templi generatio eſt perfecta, nullius enim ad propoſitum indiget rei: fundamentorum autem, & laquearium imperfecta, eſt enim utraq; pars. Eſt & alia generatio alicuius, cui pro ſui generatione perfecta in ſpecie plurium diſſimilarium generationibus non opus eſt, ueluti generatio uiſionis, & luminis, & cæterorum id genus. Hæc generatio cum non requirat plurium diſſimilarium generationes, ut in ſua ſpecie perficiatur, dicitur fieri abſq; motu: eo enim ipſo, quod illius aliquid eſt, in ſpecie ſua eſt perfecta: non enim requirit ad perficiendam ſpeciem plurium diſſimilarium generationes. Sed quoniam hæc ſunt obſcura, noſtrum inſtitutum ſuperegredientia, reſeruetur in aliud tempus.

De perfecta, & optima operatione. CAP. XXXIII.

QVoniã quid uoluptas ſit, nequit exponi, niſi quid optima operatio cuiuſq; explicetur, ideo dicamus in

omni operatione duo esse perneceſſaria: alterum potentiam, quaſi principium agendi, aut patiendi: alterum obiectum, è quo uel potentia patitur, uel in quod, ut in materiam agit, ceu in ipſa ſenſatione potentia eſt ſenſus, qui uel patitur, uel agit: obiectum eſt ſenſile, è quo patitur, aut in quod agit. Erit igitur perfecta, optimaq; operatio, cum tam potentia, quàm obiectum fuerint optima diſpoſitione affecta, ita ut nihil deſideretur, nec ex parte potentiæ, nec ex parte obiecti, ut operatio fiat: talis eſt uiſio pulchri: ex parte enim uiſus, quæ uidendi potentia eſt, nihil ulterius expetitur: ex parte uero obiecti, minime, cum pulchrum inter uiſilia ſit optimum: qua ratione fit, ut uiſio pulchri perfecta ſit. Nec intelligas perfecta, quod alterius obiecti cõparatione perfectior eſſe nequeat. Sed perfectam optimamq; Ariſtoteles intelligit ratione habita ad huiuſmodi potentiam, atq; obiectum: operationes enim comparatione potentiarum, atq; obiectorum poſſunt omnes perfectæ eſſe: at ſi inter ſe comparentur, altera erit altera perfectior: ſunt enim omnes ſenſationes æquales, æquæue perfectæ, ſi ad potentias, obiectaque bene affecta referantur. Verum ſi inter ſe, ipſum uidere fortaſſe ipſo olfacere perfectius eſt.

Voluptatem eſſe perfectionem operationis, qua operatio perfecta dicitur. CAP. XXXIIII.

QVoniam autẽ eadem operatio eſt perfecta, atq; uoluptifica: nec uoluptifica, niſi fuerit perfecta: nec cõtrà perfecta, niſi & uoluptifica fuerit: iure uoluptas nihil aliud erit, niſi operationis perfectio: obſeruatio enim docet in ipſis operationibus, quæ ad potentias cognoſcendi pertinẽt, tum operationem eſſe uoluptificam, quum fuerit perfecta,

fecta, & inter huiusmodi operationes ea maxime uoluptifica, quæ est perfectissima: est autem perfectissima ea, quæ cum sit sensus, uel intellectus, fuerit potentiæ optimæ affectæ & comparatione optimi obiecti inter ea, quæ attinẽt ad potentiam, cuius est operatio. Quare si perfecta operatio est uoluptifica, & perfectior magis uoluptifica, & perfectissima maxime uoluptifica: operatio nimirũ ea ratione, qua perfecta erit, & uoluptifica: hoc autem esse nõ potest, nisi uoluptas perfectio sit operationis.

Voluptatem perficere operationem nõ ea ratione, qua principia agendi, atque patiendi perficiunt. CAP. XXXV.

VErum cum multa sint, quæ operationem ipsam reddunt perfectam, & agẽs, uel obiectum, & forma, ccu eius operationis, quæ est conualescere: quæritur quonã modo uoluptas operationẽ ipsam perficiat: medicus enim eam operationem, quæ est conualescere, ut agens perficit: sanitas uero, ut forma. Quare eodem modo obiectum operationem perficit per modum agentis, delectatio uero per modum formæ: at sensus bene affectus eo modo, quo mouens ab altero motum perficere operationem dicitur. Quo fit, ut uoluptas sit forma operationis, non tamen ea ratione ut habitus, qui intrinsecus aduenit, sed ut pullulans quidam finis, perinde atque pulchritudo in ætatis flore. Erit itaq; uoluptas operationis forma non attinens (ut ita dixerim) ad eius essentiam, sed quasi superueniens, modo quo pulchritudo iuuenibus superuenit: nam quemadmodũ pulchritudo iuuenibus superuenit, quo bonã eorum dispositionem consequitur, quæ iuuentutis principia sunt, ita eo perfectio aduenit operationi, quo sequitur bonam dispositionem

tionem eorum quæ operationis principia sunt. Erit igitur uoluptas, ut breuibus concludam, forma operationi extrinsecus accedens.

Voluptatem non esse perpetuam, atq; continuam in nobis. CAP. XXXVI.

SEd quæstione dignum est cum uoluptas sit perfectio, atq; forma operationis, cur non perpetua, atq; continua est: sed tandem uertitur in fastidium. Dicamus igitur cousq; operationẽ uoluptificam esse, quousq; potentia, & obiectum bene affecta manent: cum enim sint similia, & eodem modo inuicem se habent actiuum, atq; passiuum, idem quoq; fieri natura solet. Quare nullus continuo in uoluptate est aut dolore, cum humana non possint continuo operari: defatigantur enim in operationibus, quas uoluptas, ut diximus, sequitur: sumus enim corpore passibiles: qui facile è prioribus affectionibus in nouas mutamur: defatigatis autẽ principijs, ex quibus operatio proficiscitur, & in contrariam affectionẽ conuersis, operatio in dolorẽ, atq; fastidiũ mutatur. Quare cum humana operatio perpetua, continuaq; esse nequeat, & uoluptas, ut diximus, operationem consequatur, quemadmodum nulla humanarũ operationum est perpetua, continuaq;, ita fiet, ut nec uoluptas perpetuo afficiat. Hinc emergit quæstio, utrum ob uoluptatem uiuere expetamus, an uoluptatem ob uitam. Aristoteles hanc quæstionẽ missam facit, & nec ab ratione, quoniam uiuere, & uoluptas adeo permista, coniunctaq; uidentur, ut alterum nec esse sine altero possit, nec expeti, sicut nemo uisum sine oculo, aut oculum sine uisu expetere, desiderareq; potest. Quare quemadmodum propter oculum uisum, & propter uisum oculum, ita quoq; & uiuere

propter

propter uoluptatẽ,& cõtrà uoluptatẽ propter uiuere expe timus. Insuper ex his, quæ diximus, perſpicuum eſt, uoluptatẽ aliqua ratione ab ipſo frui differre. Eſt uoluptas operationis perfectio, frui autem eſt quieſcere in huiuſmodi uoluptifica operatione eouſq;, quouſq; operatio delectat.

Quòd uoluptates ſpecie differant, aut genere pro operationum differentijs. CAP. XXXVII.

NOn eſſe uoluptates omnes eiuſdem ſpeciei, non erit difficile deducere ex his, quæ diximus: nam ea, quæ ſpecie differũt, à diuerſis etiam, quæ ſpecie differunt, perfici putamus, quod quidem de eſſentialibus perfectionibus nemo dubitat. Quòd uero ita ſit de perfectionibus, quæ ſuperueniũt, modo propriæ ſint, perſpicuum fiet ex his, quæ natura ſunt, & quæ ab arte conficiuntur: ex his quidem, quæ ſunt natura: nam in animalibus perfectio perpẽditur in perſpicacia ſenſus, & qualitate motus, in arboribus, in fœcunditate: ex his uero, quæ arte confici[illegible]ur: quippe cũ picturæ perfectio ſit in colorum, lineærumq; diſtinctione, ſtatuæ in bene repræſentãdis ijs, quorũ ſunt ſtatuæ, domus in bene ſeruandis eis, qui eas habitant, uaſis in bene capiẽdo. Quare & operationes differentes ſpecie à differẽtibus ſpecie perficientur. Qua ratione fit, quia operationes mentis ab operationibus ſenſus differunt, & quæ ſenſus ſunt, etiã inter ſe, ut uoluptates, quæ ipſas perficiunt, etiam differant: huius uero rei nobis ſigno eſt uoluptas extranea, quæ impedit operationẽ: propria uero eã auget, & quæ iucũdior eſt, eam, quæ eſt minus iucũda: quod nõ eſſet, ſi uoluptates omnes eiuſdẽ ſpeciei eſſent. quòd uero extranea uoluptas operationem prohibeat, cui nõ eſt propria, neq; peculiaris, qui fiſtulis delectatur, declarãt, qui mentẽ nequeunt

ſermonibus

sermonibus adhibere, si quempiam audierint modulantẽ, magis nimirum modulandi arte, quàm operatione præsenti gaudentes. Voluptas igitur ea, quæ à modulandi facultate prodit, operationem corrumpit, quæ circa sermones est: hoc idem & in cæteris usu uenit, quando simul circa duo operatur quispiam: iucundioris enim uoluptas eam operationem excludit, quæminus est iucunda, & si multo uoluptas præcellat, magis adeo extrudet, ut nihil per eam operetur: ex quo fit, ut quoties uehementer aliqua re gaudemus, non fere alia agamus, cum parum nobis alia placeãt, ueluti illi, qui in theatro comedunt, tunc maxime hoc faciunt, cum inepti sunt pugiles. Quare cum propria uoluptas exactas operationes reddat, & diuturniores, ac meliores efficiat, aliena uero extenuet, atq; corrumpat, manifestum erit eas multum inter se distare.

Voluptatum aliquas esse probas, eligibiles, nonnullas autem improbas, atq; fugiendas. CAP. XXXVIII.

EX ijs quæ paulo antè diximus, non erit obscurũ deducere, uoluptatum aliquas esse probas, eligibilesq;, nonnullas autẽ improbas, atq; fugiendas: nam cum operationes probitate differant, atq; improbitate, & aliæ quidem sint expetendæ, aliæ fugiendæ, aliæ uero neutræ, similiter se habent & uoluptates: quippe cum cuiq; operationi propria quædam uoluptas sit, sit, ut quæ studiosæ operationis propria est, ea & proba, quæ uero pravæ, ea improba sit. Deinde sicuti cupiditates rerũ honestarũ, laudabiles, turpiũ uero uituperabiles: ita quoq; & magis uoluptates erunt nõnullæ laudabiles, quæ propriæ sunt operationibus laudabilibus: aliæ uituperabiles, quæ uituperabilibus peculiares

peculiares erũt: quippe cum longe magis uoluptates, quàm cupiditates operationibus sint propriæ. Nam cupiditates tẽpore, atq; natura sunt seiũctæ, uoluptates autẽ cõiunctæ operationibus, atq; adeo indistinctæ, ut cõtẽtio sit, si idem sit operatio, & uoluptas, nõ tamen sunt eædem operationibus: nõ enim potest esse uoluptas, nisi in operatione sensus, uel intellectus: quæ enim cognitione uacant, uoluptate haudquaquam afficiuntur: nec tamen uoluptas idem est operationi intellectus, aut sensus, quando uoluptas magis ad appetitiuam attinet potentiam. Quare ut operationes sunt diuersæ, sic & uoluptates. Qua ratione fit, ut non recte dicant aliqui uoluptates ipsas secundum se esse bonas, atq; malas, sed potius quia cõsequuntur operationes probas, aut improbas, dicẽdæ probæ sunt, aut improbæ. Eudoxus itaq;, & Epicurus, & Aristippus, & cæteri, qui hos sequũtur, non recte opinantur: cum dicũt uoluptatem esse summum bonum, cum ipsa in se nec bonũ sit, nec malum. Plato etiam cum dixit omnem uoluptatem esse malum, non bene sentit, tum quia aliquæ sunt bonæ, saltem quatenus operationes probas sectantur, tum uel maximè, quia uoluptas in se nulla proba est, aut improba.

De differentia uoluptatũ in se. CAP. XXXIX.

QVoniam, ut diximus, uoluptates uno modo differunt propter operationes, quarum sunt propriæ perfectiones, alio autem penes seipsas: ideo dicamus uoluptatum differentiam penes ipsas esse: quoniã nõnullæ puræ sunt, aliæ impuræ. Dicuntur puræ, quum dolori, qui eis contrarius est, nulla ratione permistæ uidẽtur, tales sunt Dei, & intelligentiarum uoluptates: hæ enim operationes consequũtur tales, in quibus principia nunquam defatigãtur,

& propterea continuæ, atq; perpetuæ sunt: impuræ uero, quibus nonnihil doloris permistum est, quales sunt humanæ: & harũ puriores sunt, quæ mentis operationes sequuntur: si enim corpore, uel corporeis nõ egerẽt, quæ defatigantur, dubio procul puræ essent omnino: sunt tamen cæteris puriores, quia corporeis nõ indigent principijs, nisi per accidens: minus autem puræ sunt, quæ ad sensus attinent, cæteris tamen purior est, quæ est uisus: in se enim uisio cæteris sensationibus est spiritalis magis, quòd minus de dispositione materiæ in se habeat: insuper ex parte principiorũ, quibus perficitur: nam obiectum est uisile, quod per lumen in spiritali esse constituitur: medium uero est aër, qui sola ab ipso uisili spiritali mutatione afficitur: tactiua autẽ cæteris est materialior, tum quia obiecta conditionibus materiæ magis participant, tum etiam uel maxime, quòd medium corporea, atq; materiali mutatione ab ipso tactili alteratur: intermediæ uero sunt inter has etiam mediæ: quæ enim ad rationem tangendi magis accedunt, sunt materialiores: quæ autem ad rationem uidendi, spiritales magis: gustus enim uoluptas est materialis magis, olfactus, & auditus magis spiritalis. Hæc de uoluptatum differentia penes operationes: penes autem subiecta, quippe cum alia sit uoluptas equi, alia canis, alia hominis: quoniam & horũ operationes quas comitantur, sunt aliæ. Vnde ueluti Heraclitus inquit, Asinum stramina magis optare, quàm auriː asino enim pabulum auro iucũdius est. Nec modo in subiectis alterius speciei differunt specie uoluptates, uerum etiam in hominibus, qui eiusdem speciei sunt: nõ enim eadem dulcia febricitanti, atq; sano uidentur: nec calidum idem infirmo est uoluptificum, atq; ei, qui optimam habi-

tudinem

tudinem habet. Simili ratione, & in cæteris. Quare licet rationi consentaneum sit, ut uoluptates specie non differant in his, quæ eiusdem speciei sunt, tamẽ in hominibus, qui non differunt specie, uoluptates specie differre experientia demonstrat: causa est, ut Aristoteles inquit, quoniam in cæteris animalibus operationes, atq; uoluptates sequuntur naturam, quæ in animalibus eiusdem speciei est una specie. In hominibus autem imitantur rationem saltem hallucinatã, quæ in omnibus hominibus non est specie eadem: hallucinata enim ipsa ratio in febricitãte, specie differt ab ea ratione, quæ est in sanis: ideo non oportet, ut febricitantes, atq; sani eadem specie uoluptas sit.

Quòd uera uoluptas sit hominum officiosorum. CAP. XL.

QVibus nõ erit obscurũ officiosorũ hominũ uoluptatem uerã esse: cæterorũ autẽ, qui uitiorum habitu animũ affecerũt, esse hallucinatã, quod Aristoteles omni uirtute præclarus probauit ex eo, quia uiri officiosi sanis hominibus, uitio autẽ affecti infirmis comparãtur. Quare quẽadmodum uera uoluptas in gustatilibus ea est, quæ sanorũ est, quæ uero infirmorũ hallucinata: quippe cum illi bene, hi uero praue affecti sint: eadem ratione euenit, ut ea uera uoluptas sit, quæ officiosi hominis est, quæ autẽ uitijs affecti, nõ uera, sed, ut ita dixerim, hallucinata: eritq; hominũ officiosorũ ea adhuc uerior, quæ operationem potiorem imitatur ex eis, quæ sunt hominum officiosorum: sunt enim uiri officiosi operationes diuersæ, quarũ altera altera est officiosior. Quare ea uoluptas, quæ operationẽ officiosiorem imitabitur, erit cæteris earum quæ sunt hominis officiosi uerior. Quòd si uoluptas uiri officiosi sit uera, flagitiosorum

flagitioſorũ autẽ hallucinata, fit ut uir officioſus ſit, ut index uoluptatũ, ceu guſtus ſani hominis, uoluptatum, quæ ad guſtum attinent: erit profecto uir officioſus index, quatenus uoluptas erit proba, quam ipſe probam eſſe iudicabit, improbam, quam improbam, & eligibilem, quã ipſe eligibilem, fugiendam autem, quam fugiendam cenſebit: probata enim ſunt, quæ omnibus, uel pluribus uidentur, & horum his, qui ſunt ſapientiores, & ſapientiorum his, uel maxime, qui ſunt præcipui: eſt enim ſapientia menſura, qua res humanæ omnes iudicantur, ſapiens uero iudex. Errauit igitur Epicurus, qui omnem uoluptatem bonam, probamq; fatetur: non enim proba uoluptas eſt non diſcere literas, quia hæc cenſetur uolaptas à deſidioſo: nec auaritia, quia placet auãro: nec fugere à Rep. quia ignauo: nec uacare ab exercitio, quia pigro: nec imbellem eſſe, quia timido: nec Deos nihil curare, quia uoluptificum uidetur irreligioſo: nam id cenſendum eſt eſſe uoluptificum, ut dixit Ariſtoteles, quod uidetur uiro ſapienti uoluptificum, cuius ratio eſt pura, non autem hallucinata, atque corrupta.

De uenerea uoluptate, & quale bonum ſit. CAP. XLI.

QVoniam uenerea uoluptas eſt finis cupidinis, de quo nobis ſermo eſt: nam cupido deſiderium eſt fruendæ in amata pulchritudinis, atq; in eadem uenere uoluptatis utendæ: hac ratione de uenerea uoluptate diſſerendum. Ariſtippus itaq; corpoream uoluptatem ſummum bonum exiſtimauit, & inter corporeas uoluptates ueneream. Vnde cum quæreretur ab hominibus, quid ſibi uelint, cum fœminas tam rabide conſectantur, ut uix diuelli queant

queant, cibos etiam, potusq; negligant, aut alios mares uio lenter abigant, aut ne uicti quidam abſiſtant: ſed à fortioribus ſæpe contriti eo magis inſectentur: Cur nec hymbres, nec frigora pertimeſcant, laborem ſuſcipiant, periculum non recuſent. Quid aliud, ut inquit Ariſtippus, reſpondebunt? niſi ſummum bonum eſſe corpoream uoluptatem? potiſſimum ueneream, eamq; ſe appetere, ut ſuauiſſimo ſenſu afficiantur, eumq; eſſe tanti, ut aſſequendi cauſa nec laborem ullum, nec uulnera, nec mortem ipſam recuſandam putent. Cyrenaici quoq; cum hanc opinionem ſectentur, uirtutem ipſam ex eo eſſe laudandam aiunt, quòd ſit effigies quædam uenereæ uoluptatis. Aequicola uero amicus noſter argumentatur, cuius uoluptatis fruendæ deſiderium eſt maius: uoluptas maior eſſe uidetur, deſiderium enim noſtrum uidetur menſura eius, quod deſideramus: quòd autem uoluptatis uenereæ deſiderium ſit cæteris maius, ex eo probat, quòd omnia cæterarum rerum deſideria, ut cibi, & potus poſtergentur pro aſſequenda ueneriæ uoluptatis cupiditate. Teſtantur huic rei labores, hymbres, frigora, æſtus, pericula, uulnera, mortes, quas ſubeunt amantes, ut huiuſmodi fructum, qui ſuorum deſideriorum eſt finis, aſſequantur. Sed quomodo uenerea uoluptas eſſe poteſt ſummum bonum, cum ſit & communis cum belluis, & honeſti uim non habeat, & ſatietatem afferat, & nimia noceat, & proceſſu minuatur ætatis, & multis non contingat? Deinde ſi ſapiens, qui, ut diximus, uoluptatum probarum, improbarumq; iudex eſt: eam, quæ Venerea eſt, improbam exiſtimat, niſi ratione, quæ ſenſualis appetitus pædagogus eſt, ut Ariſtoteles inquit, moderetur, quonam modo quippiam bonum, uel ſummum bonum di-

cere poterimus. Ad hæc quónam modo poteſt uenerea uoluptas bonum quippiam, aut ſummum bonum exiſtimari, cui ſemper pudor comes eſt? non pudet iraſci, nec gaudere, nec triſtari palàm, coire uero genitalibus patentibus unũquenq; pudet, oculos quoruncunque erubeſcendo deuitat, atq; ſpectantium multitudinem perturbat. Quando igitur uenereus actus cum eis mulieribus non committitur, quas habere ſupra facultates noſtras eſt, nec ſanitatem turbat, nec præter rationem, atq; legem fit, tunc uoluptas proba, bonaq; cenſetur, quæ talem actum ſequitur: nam à ſapientibus tunc probam, bonamq; uoluptatem eſſe exiſtimatur, quando probam, bonamq; operationem imitatur: quando autem nec cum quibus oportet, nec quanto, qualíue opus eſt, nec quando neceſſarius concubitus eſt, committitur, tunc turpis, improbusq; eſt, & uoluptas, quæ eum imitatur, ſimiliter. Quare licet uenereus actus ſemper delectet, uoluptificusq; ſit, non tamen ſemper eſt probus, quemadmodum comedere, & bibere ſemper delectant, licet non operationes probæ ſemper ſint.

Actum uenereum eſſe maxime uoluptificum. CAP. XLII.

QVòd uero uenereus ipſe actus ſit maxime uoluptificus, experientia ipſa demonſtrat: ſed cur tanta delectatio huic actui ſit tributa, apud philoſophos naturales, & medicos magna ſemper fuit digladiatio, nec adhuc ſedata. Quidam, ut Platonici, tantam coitui uoluptatem aſcripſerunt, quia ſemen genitale, cuius tranſitus per meatum uirgæ uoluptatem affert, deciditur à toto: nam ſi à parte ſegregaretur, utiq; & in parte uoluptas ſentiretur. Quare cum à toto, ut aiũt, ſeparetur, in toto, ac ſimpliciter uolupe

uoluptas sentienda est. Sed positionem hanc Aristoteles refutauit primo de animalium generatione ex eo, quia si causa uoluptatis huiusmodi esset, quia semen à toto, singulisq; à partibus deciditur, sentiretur uoluptas primo in una parte, à qua primo defflueret, deinde in alijs consequenter. At experientia docet, tunc fieri uoluptatem, cum genitale semen per meatum uirgæ commeat, & non prius. Aristoteles uero libro problematum causam assignauit, primo ex pruritu, ex eo, quia humiditas omnis cum à loco scaturit in quo continetur, per meatus admodum angustos, nõ libere quidem, sed cum quadam suaui, atq; moderata resistentia, pruritum quendam efficit, qui eo maiorem uoluptatem affert, quo humiditas, quæ fluxerit, spirituosior, titillantior, purior, atq; magis naturalis fuerit. Diximus, per angustos admodum meatus, quando cætera excrementa nec pruritum, nec uoluptatem sensibilem afferunt. non enim meatus, per quos meãt, angusti, sed ampliusculi sunt. Diximus, non libere, siquidem sudor nec pruritum, nec uoluptatem efficit, quippe cum per poros cutis libere scaturiat. Addimus, eo maiorem uoluptatẽ facere, quo humiditas, quæ scaturit, spirituosior, titillãtior, purior, ac magis naturalis fuerit: nam qui scabiem unguibus scalpit, pruritum suauem generat, quia humiditas scalpuritione per angustos cutis meatus fluit. Verum quia huiusmodi humiditas aut præter naturam est, aut in eam, quæ præter naturam est, apta conuerti, iccirco pruritum non eo modo iucundũ, atq; uoluptificum efficiet, quo humiditas seminalis, cũ scaturit potissimũ cum illa, quæ scalpuritione defluit acuti, nec spirituosa, nec pura, nec titillans sit. At in uenereo ipso actu quæ deriuatur humiditas, et per meatus angustos, & nõ libere, sed

quadam cum ſuaui, moderataq; reſiſtentia ſcaturit, eſtq; ſpirituoſa, titillãs, puriſſima, atq; maxime naturalis, ideo pruritum efficit delectabilem ea uoluptate, quæ eſt ſupra omnes corporeas iucunditates. Sed cum ſeminalis ipſa humiditas è uaſis ſeminarijs deriuari nequeat, niſi meatus in eorum parietibus fiant, ideo adhuc quæſtione dignum eſt, quibus è cauſis meatus huiuſmodi proficiſcantur in illorum uaſorum parietibus, in quibus ſemen continetur, ut per eos ſeminalis ipſa humiditas ſcaturiat, modo, quo diximus. Ariſtoteles autumat huiuſmodi meatus fieri à calido naturali, ac ſpiritali moto ad parietes uaſorum: calidũ enim naturale, ac ſpiritale motum ad uaſa ſeminaria, illa calefaciendo, rarefacit, atq; meatus efficit: mouetur autem calidum primo, quia per agitationem, atq; fricationem amplificatur uſq; ad ea loca, deinde à uirtute expulſiua regulata ab imaginaria potẽtia, qua ſemen imaginamur expellere: & quod magis eſt, nonnunquam ſine agitatione, ac fricatione calidum mouetur, ad uaſa ab ipſa expulſiua, quæ imaginariæ obedit ad nutum, ut in pollutionibus ipſis per ſpicuum eſt, quæ fiunt in ſomno, ubi calidum nec agitatione, nec fricatione amplificatur, ſed per ſolam expulſiuam uirtutem fertur ad uaſa, quæ imaginariæ obedit in ſomno ſic imaginanti. Inſuper eſt & alia cauſa: nam cum aliqua operatio ex aliquibus principijs proficiſcitur, quæ ſunt optime affecta, ea operatio perfecta eſt omnino, & cum actus uenereus ſit ſenſatio quædã tactiua, cuius principia ſunt, & tactus, qui in partibus eſt, per quas genitale ſemen decurrit, quæ ſunt neruoſæ ualde ad ſentiendum aptæ, modo partes illæ malis, uiſcoſiſq; humoribus nõ fuerint affectæ, quemadmodum eis accidit, quam morbo afficiũtur, quem

Græci

Græci παράλυσιν dicunt, nec fuerint hebefactæ præ nimio coitus usu, hebefiũt enim partes illæ in uiris, & in mulieribus, ut Aristoteles, & Auicenna dixerunt, coitus usu præ nimio: & semen, quod in actu uenereo emittitur, est sensile, optime affectum, ut sentiatur: est enim molle, lene, spirituosum, titillans, purum, ac naturale. Quare cum & tactus sit optime dispositus, ut sentiat, semen autem, ut sentiatur, in actu uenereo erit sensatio ipsa ualde perfecta: & cum perfectio operationis sit uoluptas, fit, ut in actu uenereo sensatio sit summe uoluptifica. Quare non solum propter pruritum, sed etiam propterea, quia sensatio tactiua, quæ in actu uenereo est, perfecta, ac uoluptifica uidetur. Tertiam causam Auicenna ex diuina prouidentia nanciscitur, asserens tantam delectationem ideo uenereo actui esse tributam, ut perpetuo seruetur generatio, ad quam genitale semen est ab ea institutum, ut uidelicet propter uoluptatem, quam animalia in coitu sentiunt, ad eum pro generatione seruanda maxime moueantur: quippe cum, ut Auicẽna inquit, uoluptas quæ sentitur in Venere, ad eam sæpius inuitet. Oportuit itaq; in uenereo ipso actu ideo uoluptatem maximam sentiri, nec propter morbos, atq; labores, qui propter ipsum cõtingunt, & propter pudorem, turpitudinemq; ab animalibus prætermitteretur, & ita generatio tãdem deficeret. Quæ uero uoluptas maior, utrum in fœminis, an in masculis, quæstio est apud medicos non facilis. tamen Galenus delectationem in fœminis asserit esse maiorem pluribus modis, quoniam & emittendo, & recipiendo, emittit enim semen suum, suscipit autẽ illud masculi, & utroq; modo uoluptate afficitur, & eo magis masculi semen recipiendo, quo tale semen est suo semine con-

coctius, lenius, titillantius, spirituosius, atq; purius: in masculis uerò uno modo, sed maiorẽ, quia emittẽdo semen duntaxat: est enim hæc emissio iucundior, quatenus semen cõmeat per tactũ perfectiorẽ, qui est in partibus meatus masculi, per quẽ trãsit: est enim tactus in masculis temperatus magis, quàm in fœminis, est insuper iucundior, quia semen uiri per meatum angustiorem defluit, quàm cum recipitur in fœmina. sunt & aliæ causæ quas à medicis perquiras. Ex his patet animalia coitum magis, quàm cibos sequi: nam cibis, potibusq; seruatur individuum, coitu uero species, quæ magis à natura intenditur.

Qui salaciores, amãtesq; magis ex ætate. CAP. XLIII.

PLures uero quæstiones disputantur in actu ipso uenereo, quas omnes nolo differere, sed eas duntaxat, quæ cupidini utiles uidẽtur. Est prima, qua ætate actus ipse ueneris peculiarior est. Peripatetici, quos Galenus imitatur, asserunt in pueritia, atq; decrepita ætate semen non emitti, aut parum: in pueritia quidem propter incrementum, quia enim in pueris uelox, magnumq; est incrementum, semen in nutritione non superfluit: in decrepitis uero, ubi omnes uirtutes sunt semimortuæ, aut non fit semen, aut parum, quod per exercitium tabescit: post uero quartumdecimum annum & in adulescentia, & in uiritate semẽ fit, & quidem multum: nam licet adulescẽtia sit adhuc incrementi ætas, tamen non est auctio uelox, & tanta, quanta in pueris, in quibus triennalis auctio æqualis est ei auctioni, quæ uniuersæ ætatis residuo confertur. Quia uero ut in uiritate, quæ consistentiæ ætas est, nec incrementum, nec decrementum cernitur, in hac genitalis seminis generatio maior esse uidetur, non tamen est, quoniam in iuuenta ob caloris

caloris exuperantiam nutrimentum fit maius adeo, ut pro auctione, & pro seminis generatione sufficiat. At in sene cta semen maius proditur, quàm in decrepita ætate, quia adhuc calor efferuet, licet parum admodum. Qua ratione fit, ut iuuenes sint salaciores, seminis uidelicet magnitudine, post hos adulescentes, uerum amantes magis: nã licet semen non tantum excrescat, tamẽ nouitate delectationis ardent uenere longe magis, quàm cæteri: meatus insuper in his angustiores sunt, per quos transit semen: cum enim tam in femellis, quàm in iuuenculis meatus sint angustiores, humiditas cum suauiori resistentia scaturit. Quare delectantur, atq; resoluuntur magis. Appetunt uero rursus coire post coitum, quippe cum seminalis humiditas, quæ fricatione, agitationeq; eliquata mouetur, sit pauca, et quia pauca, cito frigescit, & quia cito frigescit, inepta expulsioni redditur. Quare iterum puellæ iuuenculiq; fricari desiderant, ut expellant humiditatem, quæ dum emittitur, semper oboritur: qui autem ad uirilitatem peruenerunt, minus ardent iuuenibus, minusq; salaces sunt: nam licet non augeantur, tamen in eis semen non quãtum in iuuenibus crescit, in quibus præ nimio calore nutritio maior est, senes uero, & minus amant, & minus salaces sunt, ac decrepiti nulla ratione. quibus perspicuum amantes magis esse pubescentes, in quibus Venus incipit: post hos iuuenes, post hos uiros, deinde senes, ultimo decrepitos.

Qui salaciores, amantesq; magis ex temperaturis. CAP. XLIIII.

EX temperaturis uero, quas Græci crases dicunt, sanguinei salaciores amantesq; magis sunt, quoniã calidi, & humidi: quia enim calido abũdãt, facile in eis calidũ

ad imaginariæ uirtutis nutum ab expulsiua potentia moueri potest ad uasa seminaria, ad quæ motum congregatur, & congregatum meatus efficit. Qua ratione fit, ut bene appetant: quia uero humidi, bene possunt, cum semẽ sit aliud nihil, quàm humiditas naturalis, quæ nutritioni superfluit: melancholici uero, quia frigidi, non appetunt: emergit enim appetitus ex abundanti calido: & quia sicci, non possunt, carent enim humido, quod transire solet in naturam seminis. Aristoteles autem contrarium asserit, uerum ad medicos te remitto. Cholerici appetunt, calido enim exuperant, quod facile mouetur ad seminaria ipsa loca: non autem possunt, quoniam deest humidum, quod conuerti solet in semen. Phlegmatici possunt, quia abundant humido, non tamen ita, ut alij appetunt, quippe cum sint frigidi. Amantiores cæteris, ac potentiores sunt cholerici sanguinei: exuperant enim calido, quo appetant, & humido aëreo, quo possunt. Post hos sunt phlegmatici sanguinei, qui possunt magis, quàm cæteri, cum humido polleãt: appetunt uero, quia calidi: non tamen magis, quàm cholerici sanguinei, in quibus est duplicatum calidum.

Qui salaciores, libidinosiorésue ex naturæ signis. CAP. XLV.

SVnt insuper nonnulla signa, quæ naturæ dicuntur, à Græcis dicta physiognomonica, quæ non à manifesta natura, sed ab occulta admodum sumuntur: inter quos eos Aristoteles salaces, libidinososq; affirmat, quorũ tibiæ graciles, atq; neruosæ natura sunt, quos ideo salaces dicit, quia referuntur ad aues, quæ saltem tempore coitus sunt salacissimæ: insuper & eos, quorum nasus est concauus, cuius quæ sunt ante frontẽ, rotunda sunt, circumferẽtiaq; erecta.

quos

quos tales dicit, quia referuntur ad gallos, qui ſalaciſſimi uidentur. Ad hæc & eos, quorũ naſus eſt ſimus: & hoc ideo, quia referuntur ad ceruos, qui tempore coitus inſani redduntur. Præterea & eos quorum oculi ſunt lucentes: hoc autẽ propterea, quia ad gallos, ceruósue referũtur, qui, ut diximus, libidinoſi ſunt. Deinde, & eos, quorum tibiæ piloſæ ſunt, quod ideo ita eſſe demonſtrat, quia referuntur ad hircos, qui ſalaciſſimi ſunt. Poſtea eos etiam ſalaces libidinoſosq; affirmat libro problematum, quoniam è palpebris pili cadunt, & cito calui fiunt: hi enim libidine excedentes, humidum, quod ad pilorum, capillorumq; generationem conuertitur, deeſt: quare & cito caluescunt, & pili à palpebris facile decidunt. Sunt inſuper ſalaces, atq; libidinoſi, qui corpore ſunt piloſo: hi enim & referuntur ad aues, & humido, calidóue ſuperexcedunt. Deinceps quorum oculi ſurſum ducũtur, ſunt ſalaciores, atq; libidinoſi, nec iniuria, ut Ariſtoteles inquit: quia qui coëunt, ſurſum ducunt oculos. Quare qui natura ſurſum oculos ductos habent, ſunt libidinoſi: referuntur enim ad apparentem actum, qui enim emittunt ſemen, ſic apparẽt. Quo fit, ut natura ſint emiſſiui, qui natura ſic apparent. Suſpirioſos etiam, quorum uultus remiſſus, atq; demiſſus eſt, libidinoſos, atq; ſalaces dicunt: referuntur enim ad apparentem actum: nam qui amant, ſic apparent. Poſtea hi, quorũ tempora capillata ſunt, lineaq;, quæ ab apice capitis deſcendit per medium uſq; ad colli principium crinita, libidinoſi exiſtimantur. Menander Theophraſti auditor tradit eos, qui obtuſum uiſum habent, libidinoſos eſſe, atq; amatorios. Verum cum nec huius, nec aliorum, quæ iuniores addiderunt, ex chyromantia rationes afferantur, bona

fronte prætermiſimus.

Qui ſalaciores ex anni tẽporibus. CAP. XLVI.

QVoniam uero etiam anni tempora alterant corpora noſtra, fit, ut æſtate puellæ ſint libidinoſiores, & amantiores: ſupercalefiunt enim magis, & quaſi uirtus, quæ in frigido ſubmerſa erat, calore æſtatis reſurgit. Viri autem contrà hyeme, tum quia teſtes eo tempore contractiores ſunt magis parati ad emittendum ſemen, in hyeme uero deorſum reſidentes, tum uel magis, quia frigiditate hyemis uiri natura, quæ ſiccior eſt, quaſi ad temperationem reducit: quare reddetur ſalacior: quippe cum corpora tẽperata ſalaciora ſunt. Mulieres etiã, & uiri, qui cõtinuis equitationibus utũtur, ſalaciores reddũtur: quoniã calidiũ circa uaſa ſeminaria agitatione, & motu amplificatur.

De definitionibus amoris ſecundum alios. CAP. XLVII.

IIs uiſis, ſupereſt modo quid ipſe amor ſit deſcribere: nã autores ipſum non una ratione definierunt. Ariſtophanes, quem Lucretius ſectatur, amorẽ aſſerit eſſe deſideriũ in amante, ut ſe transferat, transformẽtue in amatam, aut in amatum. Theophraſtus autem inquit amorem eſſe animi cõcupiſcentiam, quæ cito exoritur, ſero autem tabeſcit. Plutarchus uero ait, amorem eſſe ſanguinis motum, qui paulatim uim ſumit, perduratq; diu ob noſtrã perſuaſionẽ, qua credimus nos eſſe dignos amari. M. Cicero aſſerit amorem eſſe beneuolentiam. Seneca inquit amorem eſſe mentis grandem uigorem, qui caliditate ſuauiter in eo efferuet. Stoici tradunt amorem eſſe affectionem, quæ nobis aduenit pulchri cauſa. Plato ſcripſit amorẽ eſſe deſideriũ eius fruendi, quod animo, corporéue pulchrũ eſt. nonnulli autẽ

qui

qui doctrina clari sunt, descripserũt amorẽ esse uinculum, quo amans desiderat se amatæ cõiungere. Bernardus uero inquit, esse uoluntatẽ bene ordinatam, uehemẽtemq;. Hæ sunt definitiones, quas de amore ueteres tradiderũt. Iunio res uero aliter, nec tamen eodem modo omnes dixerunt. nõnulli enim amorẽ esse dicunt desideriũ fruendæ bonitatis, quod Plotinus autumat, cum asserit amorẽ eum animi actũ esse, quo bonũ desiderat. Alij uero tradunt amorem esse desideriũ fruendi, generãdiq; pulchrũ in pulchro: quod etiã Plato fatetur in Sympostio. Alij dixerũt amorem esse desideriũ cum libidine cõiunctũ ab ocio, atq; lasciuia concitatũ: quã opinionẽ uidetur sensisse Petrarcha. Eudoxus uero inquit amorẽ esse sanguinis cõmotionem appetitu ueneris non occupantem, ut ira, uniuersum corpus subito, sed paulatim ad ardorem proficiscentem spe uenereæ uoluptatis, permanẽtemq; postea ob nostrã hallucinatã persuasionem, qua confidimus nos esse amore dignos. Sunt qui amorem uolũtarium motũ scribant, animiq; actum, quo tendimus ad earum rerum desiderium, ac fruitionẽ, quæ nos uoluptate afficiunt. Sed hactenus de amoris definitionibus.

Quales hæ definitiones. CAP. XLVIII.

SEd pace tãtorũ uirorũ dixerim, hæ definitiones inutiles sunt. Primo quia si de cõmuni amore dantur, nõ uidẽtur recte traditæ, quippe cũ amor sit quid æquiuocũ, cuius una cõmunis definitio tradi nõ potest. Si autẽ de aliqua amoris specie, nulla harũ definitio idonea uidetur alicui speciei earũ, quæ sub amore cõtinẽtur. Deinde Aristot. amorẽ ad amabile refert, amabile aũt nõ omne est pulchrũ: bonũ enim utile amabile est, quod nõ est pulchrũ. Præterea bonũ uoluptuosum amabile est, quod nõ omne est pulchrũ.

Quare

Quare definitiones amoris aggredientes, primo quid sit cupido dicamus.

Definitio cupidinis prima. CAP. XLIX.

Est itaq; cupido non una ratione descriptus, & propterea potiores eius definitiones necesse est assumere. Quare prima est illa Platonicorum, qua dicunt amorem esse desiderium generationis, partusq; in pulchro. Hanc Diotima asserit, & Plato concedit: uerum si ita intelligatur, ut uerba demonstrant, non est bene assignata: primo quia si hæc definitio communis accipiatur hominibus, & animalibus mutis, non est uerum in mutis amorem esse desiderium generationis, partusq; in pulchro: non enim muta pulchrum agnoscunt. At si hæc definitio propria sit hominibus, hoc est data de cupidine, quæ solis hominibus cõpetit: tunc solum de ea cupidine esset uera quæ est masculi ad fœminam: non enim in puellis cupido desideriũ est generationis, partusq; in pulchro: sed generationis, partusq; ex pulchro. Præterea amans non semper desiderat generare pulchrum in pulchro, uel ex pulchro, imo persæpe amantes procurant abortum. Dicamus igitur definitionem hanc, si de cupidine tradatur, esse sic corrigendam, ut dicamus cupidinem esse naturale desiderium generandi pulchrum in pulchro, aut ex pulchro. Fœminæ enim generant in seipsis pulchrum ex pulchro: Masculi autem in pulchro. Diximus naturale desideriũ: quoniam amor quandoque desiderium est uoluntarium non generandi pulchrum, sed utendi pulchro ad ueneream uoluptatem. Persæpe enim uoluntas hallucinata ratione commota appetit uti pulchro ad solam ueneream uoluptatẽ. Verum si ad naturã inspiciatur, cupido est naturale desideriũ generandi

randi pulchrũ, uel in pulchro, uel ex pulchro. Quod autem ita ſit, Plato in Sympoſio exponit ex eo, quia natura mortalis ſemper, & immortalis eſſe pro uiribus nititur. Hoc autẽ generationem duntaxat aſſequitur, quoniam ſemper alterum iuuenem ueteris loco ſubſtituit: quare commune deſiderium naturale hominibus, animalibus, & ſtirpibus eſt generare tale, quale ipſum: in hominibus autem pulchrum in pulchro, uel ex pulchro, quatenus, ut Ariſtoteles inquit, diuino, ac immortali eſſe participent: nec ſolum in hominibus, animalibus, ac ſtirpibus priora abolentur, noua uero ſuccedunt, uerum etiam in anima id contingit. Mores enim, conſuetudines, opiniones, cupidines, uoluptates, dolores, atq; timores cõtinue permutãtur, nec quicquã ex iſtis idem, ac ſimile perſeuerat, ſed uel ſemper priora ſibi noua ſubſtituunt. Hoc itaq; pacto omne mortale ſeruatur: non quia ſemper omnino idem ſit, ut diuinũ, ſed quia quod tabeſcit, & abit, nouum, ac ſimile ſibi relinquit: hoc remedio, ut inquit Diotima, quod mortale eſt ſiue corpus, ſeu quodlibet aliud particeps immortalitatis euadit: quod uero diuinum, & immortale, alia ratione. Quamobrem mirari nõ debes, ſi omnia germen ſuum chariſsimum habeant. Nam immortalitatis gratia nixus huiuſmodi atque amor cuilibet ineſt: etenim ſi gloriæ ſtudium, quod hominibus ineſt, cõſiderare uolueris, cernes quàm uehementer exoptent notos ſeſe omnibus exhibere, & in futurum immortalem gloriam conſequi: nam huius gratia magis, quàm filiorum, pericula ſubeunt, pecunias erogant, laboresq; nullos reſpuunt, ac ſeſe morti exponunt. An cenſes Alceſten pro Admeto mori uoluiſſe, aut Achillem in ultione Patrocli occumbere, aut Codrum pro filiorum regno perire,

perire, nisi immortalem memoriã, qualis apud nos extat, consecuturos se præsagissent? hæc Plato. Recte igitur dictum est, amorem esse naturale desiderium generandi, ac propagandi pulchrum, aut in pulchro, aut ex pulchro, non autem uoluntarium: interdum enim cupido est uoluntarium desiderium utendi pulchro propter uenereã uoluptatem.

Definitio cupidinis secunda. CAP. L.

POtest cupido etiã describi, ut Eudoxus inquit, quòd sit sanguinis commotio propter appetitum ueneris, non occupans, ut ira, uniuersum corpus subito, sed paulatim ad ardorẽ, scilicet appetẽdi, proficiscẽs spe uenereæ uoluptatis, permanensq; postea ob nostram hallucinatã persuasionem, qua confidimus nos esse amore dignos. Potest enim cupido trifariam describi, ceu ira, atq; alius quiuis affectus, definitione quidem causali. Vt ita dixerim, sicut ira est ebullitio sanguinis circa cor: sic amor est commotio sanguinis. Definitione uero formali, ut dialecticorum uerbis utar: nam sicut ira est appetitus uindictæ, sic amor est appetitus uoluptatis uenereæ: sed quoniam differt ab ira, ideo cupido cum fit, subito fit, ut ira. Primi enim motus in nostra potestate non sunt. Verum ira totum corpus occupat: appetitus enim uindictæ esse potest subito, at fructus amoris non statim, ideo paulatim in dies accrescit spe, atq; à spe seruatur: quoniam speramus amari, quã spem nobis ratio uera, aut hallucinata persuadet. Quare definiri potest tertia definitione cõposita ex formali, & causali, ut Eudoxus definit, & erit definitio completa, si addantur subiectum, obiectumq; amoris, hoc pacto, Cupido est sanguinis

guinis commotio circa cor: est enim cor subiectum, propter appetitum ueneris cum pulchro. Est enim pulchrum obiectum, cuius cupido, & ad quod refertur, & cupido ratione, qua est commotio, non est desiderium uoluntarium, sed affectus, qui cum sit in sui primordio, non est in potestate nostra: nec occupat subito totum corpus, sed paulatim ad ardorem proficiscens, quatenus uincitur uoluntas magis in dies, ac magis spe uenereæ uoluptatis, quæ etiã crescit quotidie: cessaret autẽ nisi ratione hallucinata moueremur ad credendum nos esse dignos amari.

Definitio cupidinis tertia. CAP. LI.

POtest cupido etiam describi, quòd sit uolũtarius motus, animiq; actus, quo tendimus ad earum rerũ desiderium, ac fruitionem, quæ nos uenerea uoluptate afficiunt. Verum addere oportet circa processum: nam cupido circa initium est affectus, sed in processu uidetur uoluntarius motus, & animi actus: aut fortasse dicendum ita de amore, ut de appetitu cibi. Appetitus enim cibi, uel potus naturalis est, & circa talem, ut Aristoteles inquit, nec laus est, nec uituperatio: appetitus uero huius, uel illius cibi, est uoluntarius, saltem circa processum. Hac enim ratione nec matres, nec sorores amamus, nisi in nobis ratio omnino sit corrupta. Cum dicitur, ad earum rerum desiderium, quæ nos uenerea uoluptate afficiunt, intelligendum est ad earum rerum, scilicet pulchrarũ: solæ enim res pulchræ nos uenerea uoluptate afficiunt.

Quarta cupidinis definitio. CAP. LII.

SEd uerius cupido describi potest, quòd sit desiderium coeũdi cũ amata, uel amato. Dico desideriũ uno modo naturale,

naturale, alio modo uoluntarium. Pluribus enim rationibus amãs naturaliter potest appetere amatam. Verum in omnibus uoluntas potest exuperare desiderium. Dico cum amata, nam animalia muta desiderant coire cum fœminis sui generis, sed non cum eis, tanquã cum amatis: non enim cognoscunt pulchrum, sed soli homines, ideo soli homines cum amatis coire desiderant, cum soli eas ut pulchras cognoscunt, & affectant. Diximus enim superius amatum, uel amatã esse, quã ui pulchritudinis, quæ animi, & corporis est, omnibus sensibus frui desideramus, quibus in ea uniuersam animi, atq; corporis pulchritudinem perpendimus. Addimus uel cum amato, quoniam cupido duplex est. sicut inquit Plato, mascula, & fœmina, ita quoq; & cupido.

Vtrum cupido sit naturalis, an uoluntarius. CAP. LIII.

SEd magna quæstio est, sitne cupido naturalis, an uolũtarius. nam licet pro parte quæstio sit soluta, non est malum iterum ipsam dilucidare. Xenophon, & Aristoteles disputarunt quæstionem, sed quæ sit ueritas, nondum patet. Quòd enim sit uoluntarius cupido, ex eo patet, quia legibus cauetur, non autem leges cauent, quòd est nobis naturale. Deinde non amamus matres, nec filias, nec sorores. Amaremus autem, si naturalis esset, ut in animalibus mutis cõcupiscentia. Quòd uero sit naturalis, patet: nam ut cibi, & potus appetitus est naturalis, ita ueneris. Aristoteles igitur vij. libro Ethicorum asserit, amorem respectu pulchri in uniuersale esse naturalem: nam nos natura consequitur, sicuti appetitus cibi, uel potus: respectu uero pulchri in particulari esse uoluntariũ, uoluntate quidem contradictionis,

tradictionis, non autem uoluntate indifferentiæ. In particulari enim licet uoluntate contradictionis (ut metaphysicorum uerbis utar) sumus æquales, quia simpliciter possumus amare, & possumus non amare, tamen æqualitate indifferentiæ, fortasse pulchrum quoddam in particulari sumus magis amantes, quàm non amantes. Quia aliqua particulari, atq; occulta proprietate, idiotropiaq; fortasse afficimur magis una, quàm altera amata. Qua ratione fit, ut Cupido, qui est pulchri desiderium in uniuersali, nec lege cauetur, nec est contra rationem reclam. Cupido uero, qui est desiderium pulchri in particulari, cum sit uoluntarius, saltem, ut ita dixerim, uoluntate contradictionis, potest esse turpis, si fuerit præter rationem, & legem: potest etiam esse honestus, si fuerit secundum legem, ac rationem. Insuper in primis motibus nequaquam cauetur, quoniam non est in potestate nostra. potest enim aliqua puella animum alicuius rapere ad sui desiderium, cum primo occurrit, quæ tamen in processu ratione desiderium moderando, eum non commouebit.

De Cupidinis perfecta genitura. CAP. LIIII.

QVo uero motu in amãtis animo Cupido generetur, exponamus: cũ enim per sensus pulchri species fertur in animam, primo uidelicet in externos sensus, deinde in communem, qui ceu centrum, ut Aristoteles inquit, est omnium externorum, deinceps per communem in imaginariam, quam Græci phantasiam dicunt, demũ in memoria seruatur, anima ipsa ingenito quodam appetitu ad amatã conuertitur, atq; rapitur: conuersa uero, ac rapta illius pulchri radio illustratur: ea illustrata, atq; radij illius fulgore illuminata, appetitus, qui animæ sensitiuus est, ac-

cenditur, accensus amatæ totus adhæret, adhærens deniq; in amatã transformatur. Primũ amantis in amatã raptum Platonici Cupidinis ortum dicunt, illustrationem uero Cupidinis pabulum, appetitus incendium Cupidinis accrementum, ipsi amatæ adhærentia Cupidinis impetum, transformationẽ deniq; Cupidinis perfectionem uocant.

De Cupidinis ortu. CAP. LV.

QVoniam animæ raptus, quo ipsa primo rapitur ad desiderium fruendæ pulchritudinis, secundum Platonicos est Cupidinis ortus: ideo de causis huius raptus differendũ. Platonici huius raptus causam assignãt ex eo, primo quia cũ pulchræ puellæ species ad animã defertur, mox ipsa appetitu natiuo, qui sensitiuus est, rapitur ad eius fruitionẽ: nã licet appetitus sensitiuus aliqua ratione differat à naturali (est enim appetitus sensitiuus animalis, naturalis uero tã animaliũ, quàm inanimatorũ) non tamen est in potestate nostra agnito pulchro ipsum desiderare, uel fugere. deinde unũquodq; siue animal sit, siue inanimatum, fertur naturali desiderio in suã perfectionẽ: et cũ pulchri fruitio sit animæ appetentis perfectio, anima non tantũ sensitiuo appetitu, uerũ etiã naturali rapietur ad fruitionem pulchri. Sed istæ causæ si militant, solũ de Amore simpliciter, non de Cupidine militare uidentur. non enim rapimur ad Cupidinẽ alicuius sola specie pulchritudinis illius ad animã delata: oportet enim pulchritudini gratiã permixtã esse, quæ propriæ, atq; peculiari naturæ amantis conueniat. nec uidetur cupidinea fruitio, perfectio amãtis, ut dicũt: est enim potius perfectio eius, quod ex eã proditur. non ergo tanquã in amantis perfectionẽ, amans rapitur in fruitionẽ pulchri cupideneã. Sunt igitur plures causæ, quibus in nobis Cu

bis Cupido oritur, ac animus rapitur. Prima accipitur ex parte corporis, & hæc est lex naturalis, qua corpus semper naturali lege concupiscit aduersus animã rationalẽ. concupiscit quidẽ naturali lege fornicationes, immunditias, atq; impudicitias, cæteraq; id genus. Quando autem corpus ciborũ affluentia, deliciarum mollitie, atq; lasciuorũ potuum luxu magis fouetur, tãto lex illa naturalis, qua corpus aduersatur animæ, magis crescit. Deinde altera causa est, quæ accipitur ex parte animæ. nam cum anima illecebris, lasciuisq; meditationibus immoratur, facile in ea Cupido exoritur, potißimũ si meditationes fuerint circa uoluptates uenereas. Primo quidem quia cũ ipsa uenerea uoluptas sit homini natiua, ueluti cibi, ac potus concupiscentia, facile in eam appetitus dilabitur, cum per meditationes ei proponitur. Deinde licet, ut Aristoteles inquit libro Ethicorum, iucunda in particulari sint magis uoluntaria, quàm in uniuersali, per moram tamen cogitationum ad ipsa particularia descendimus, quo fit ut tandem libido prouocetur. Vltima deniq; ex parte exteriorum rerum accipitur: nam cũ nobis puellæ occurrunt pulchræ, cum quibus cõiuncta gratia est, quæ appetitui conuenit eius, cui occurrunt, specie earum delata ad animam, sensitiuo, ac naturali desiderio rapitur ad earum Cupidinem, potißimum si frequentia aspectuum, colloquiorum, cæterarumq; conuersionum interuenerit: ex his enim Cupido quasi ignis exardescit. Has causas Seneca in Tragœdijs tetigit, cum dixit,

Vis magna mentis, atq; animi calor
Amor est, iuuentæ gignitur luxu, & ocio.

Per luxum enim corpus fouetur, atq; genitale semen exoritur. At cum semen accreuerit, pulsando imaginariam,

ac alliciens, mouet ad Cupidinem. Per otium uero meditationes uenereæ emergunt, in quibus cum immoratur animus, rapitur ad Cupidinem. Per uim magnam mentis intellexit eam, quæ aſpectu, colloquijs, atq; conuerſationibus cum puellis conſuetis, proficiſcitur.

De Cupidinis pabulo. CAP. LVI.

QVoniã omne ortũ ſtatim occideret, niſi aliquibus ſeruaretur, id autem, quo ſeruatur, pabulũ dicitur, de Cupidinis pabulo diſſerendum. Et cum eiſdem ſeruetur ortum, è quibus eſt ortum, ideo Platonici Cupidinis pabulum animi illuſtrationem autumant, quia amata certior amanti facta eſt. Diximus enim Cupidinem oriri non poſſe in amantis anima, niſi humani pulchri cognitio, ſaltem imperfecta præſit. Quare ſi Cupido ſeruari debet, eiuſdem pulchri cognitionem perfectiorem, aut æqualem eſſe oportet. nam ſi Cupidinẽ imperfecta humani pulchri cognitio parit, perfectior autẽ æqualis eiuſdem pulchri cognitio Cupidinem ſeruabit. Quare per animi illuſtrationem, clariorẽ amatæ cognitionem intelligendum eſt, quæ ſuauibus, atq; dulcibus meditationibus (ut Petrarcha inquit) paritur. his enim in dies magis ac magis factis, amatæ pulchritudo clarius, ac clarius eluceſcet, quare & Cupido ſeruabitur.

De Cupidinis accremento. CAP. LVII.

ET cum omnia orta ſeruentur, & ſeruata creſcãt, de accremento Cupidinis diſſerendum: quod Platonici incendium eſſe tradunt. nam poſtquam amatæ puellæ pulchritudo longe magis animæ amantis illuſtrata eſt, longe magis rapit, atq; cõuertit. illuſtratur autem magis, quoties gratia, quæ erat in uno amatæ puellæ membro, ut puta in oculis, aut in ore, aut in maxillis, per quam membrum amantis

mantis animum ad fruitionis amatæ puellæ desideriũ commouit, atq; rapuit, per uniuersum corpus diffusa est: tunc enim nihil est in amatæ corpore non laudabile, tunc uniuersum amatæ corpus, atq; eius partes singulæ gratiosæ amanti sunt: & quando ita fuerit, tunc erit incendiũ, quod est amoris accrementum. gratia uero per uniuersum corpus diffunditur, cum amantis animus, qui primo ab unius, uel plurium membrorum gratia commotus est, inuenerit in amata spem futuri fructus, quam spem in aspectu, in alloquijs, & in cæteris id genus nancisc itur. Quare ab aspectu, ab alloquijs, & ab alijs id genus spes oritur, ab orta spe, gratia per uniuersum corpus diffunditur, à gratia diffusa Cupido accrescit. Tale autẽ Cupidinis accrementũ Platonici incendium uocant, quòd per ipsum animus incẽdatur.

De animi amantis trãsmigratione. CAP. LVIII.

QVoniam auctо Cupidine, non erit eius perfecta genitura, nisi animus amantis derelicto suo corpore, uiuat in alieno: nec si amantis animus in amatæ corpore uixerit, erit Cupidinis perfecta adhuc genitura, nisi amãs uniuersus transformetur in amatam: ideo de animi amantis transmigratione, quam Platonici adhærentiam uocant, differendum primo, deinde de transformatione. Facto itaq; incendio, quod est Cupidinis accrementum, anima, quæ non potest suo in corpore uiuere propter ardorem, incendiumq;, in amatæ corpus migrat, in quo uiuere studet: nam (ut Plato inquit) amantis animus in proprio corpore mortuus, in alieno uiuit: moritur enim quisquis amat: eius enim excogitatio sui oblita, semper in amata se uersat. Si de corpore suo non cogitat, nec in ipso animus sic affectus operatur, cum præcipua animi operatio, ipsa cogitatio

sit. Qui in suo corpore non operatur, in eo non est, in quo erat: æqua enim inter se hæc duo, esse, & operatio sunt: nec esse sine operatione est, nec operatio ipsum esse excedit: nec operatur quisquam ubi non est, & ubicunq; est operatur: non ergo in suo corpore est amantis animus, quoniam in eo non agit. Si in suo corpore non est, nec uiuit etiam in ipso. Qui non uiuit in suo corpore, & uiuit, in alieno uiuat necesse est: & quoniam in amata se uersat, & semper in ea cogitat, in amatæ corpore uiuat oportet. Quare qui amat, de suo corpore migrat in alienum, eius uidelicet, quam amat, quod Platonici adhærentiam uocant.

De transformatione amantis in amatam. CAP. LIX.

NEc perfecta Cupidinis genitura habenda est, si amãtis animus in amatæ corpus solum migrauerit relicto suo: sed oportet ut se totum, animo uidelicet & corpore transformet in amatam, ceu Meduſa in saxum. Cum enim Cupido amantis animum, & corpus, atq; singulas corporis partes tenuerit, occupaueritq;, atq; incendio, & ardore affecerit, mox (ut Plautus inquit) sua efficacia amantem à suo naturali esse in amatam permutat. Quemadmodum Plato in Phædone Tyrannos in lupos mutari asserit, impudentes & segnes in asinos, & Poetæ Orpheum in cygnum, Therſiten omnium Troianorum turpissimum in simiam, Lycaonem in lupum, Hecubam rabidam in canem, Anaxaretem in saxum. Hoc pacto Poëtæ tradunt amantem in amatam se transformare: & Petrarcha se adulescentem in Laurum urentem semper permutatum canit. Sed quid sibi uelit hæc transformatio, Platonici interpretantur. nam cum amans ea unione amatæ

hæret,

hæret, qua animus de suo migrat in eius corpus, amatæ spe ciem semper in suo animo recipit, receptam autem memoria indissolubili seruat. Recipiendo autem, atq; seruando semper, ea afficitur, modo, quo paries albedine. Quare ut paries quandiu albedinem recipit, albus est: sic amans spe cie suæ amatæ, quam semper seruat, adeo ea afficitur, ut dicatur puella amata, ut sit propter id quasi uersus in puellã amatam. Lucretius uero seminis genitalis intromissionem transformationem hanc interpretatur. Cum enim genitale semen è toto amantis corpore, singulisq; membris decidat, solo huius iactu, uel tactu, aut transmissione in amatam, totum amantem in amatam transmutari asserit. Aristoteles uero transformationem huiusmodi fieri affectu interpretatur libro Ethicorum x. nam cum amans ad amatam affectu ita se habet, ut ad se ipsum, fit ut amãs sit quasi amata, quoniam amans ad amatam afficitur quasi ad se, ut sit affectu altera ipsa. Sed cum amans naturæ, moribus, ac omnino uitæ amatæ se accommodet, nõ desunt qui huiusmodi transformationem interpretentur secundum accommodationem hãc, quam diximus fieri. Adeo enim amans amatæ morem gerit, ut uideatur uersus in eam, quemadmodum Poetæ aiunt hominem fieri Deum, cum diuina, quæ Deo placent agit. Quæ cum ita fuerint, perspicuum tunc Cupidinis perfectam esse genituram, cum amans ad huiusmodi transformationem peruenerit.

De eo, quod maxime ad huiusmodi transformationem operatur: Deq; signis, quibus amatio, atq; redamatio annotatur. CAP. LX.

ID uero, quod ad huiusmodi transformationẽ operatur, est redamatio. Cum enim amans sentit se redamari,

accenditur, & accensus adhæret, & tandem amatæ adhærendo, se in eam transformat. Est autem in amata tandiu mutatus, quàm diu se ab ea redamari sentit: si enim sola spe (qua quis sperat amari) amans in amatam se transformat, quanto magis redamatione? cum per eam non solum amari, sed etiam fructum colligere arbitratur. Hac ratione Poetæ gemellum Cupidinis effinxerunt Anterota, sine quo Cupido nec crescere, nec diu uiuere potest. Qui enim Cupidinem & crescere, & diu uiuere procurat, præsentia Anterotis, qui Cupidini gemellus fingitur, indiget. Quo enim Anterus crescit, eo Cupido maior fit, & quo Anterus diu uixerit, eo Cupido permanebit. Plato amatam redamare hortatur, quia redamando animam amanti restituit. Aristoteles quoq; iure amantes queri dicit, cum amant, & nõ redamantur, modo sint amore, atq; redamatione digni. Cum enim redamatione digni non fuerint, non recte queri. Sed cur ab amantibus redamatio ardenter quæratur, ab illis, qui amatoria scribunt, non est ualde exploratum. Vna tamen causarum assignata est, quoniam per redamationem, non solum reciprocus amor, sed fructus speratur, cuius gratia amantes amant. Alia uero, quoniam per redamationem amans à zelotypia liberari uidetur, quæ ab amantibus natura abhorretur. Est enim zelotypia unicuiq; animali natura indita, cum unumquodq; sibi simile generare sit natura datum. Cum enim natura aliquis compellitur generare sibi simile, natura etiam cogitur, fœmellam in qua sibi simile generare desiderat, non habere communem sibi, & alijs, in quo zelotypia consistit, alioquin posset ab alijs fieri, quod non ei, sed alijs simile esset. hac ratione, ut postea dicemus, Plato recte

zeloty

zelotypum definit, quòd sit inuidens, qui amatoria suspitione capitur. Sed quoniam, cum amans non redamatur, nec sperat amari, nec cupidinis fructum colligere, nec sibi simile generare, fit ut tandem amor tepescat, ac frigescat. Signa uero, quibus redamatio annotatur, ea, & tot sunt, quibus quòtue amatio cognoscitur. Primum quidem (ut Aristoteles inquit libro Rhetoricorum primo) est recordatio: cum enim aberit amans, & eius recordatur amata, redamationis signum est. Deinde si propter absentiam tristatur, ac dolet, erit amoris, atq; redamationis signum certissimum: nec minus redamationis signum est habendum, cum amata gaudet, lætaturq; ob amãtis præsentiam. Ad hæc si amata ea pro amante agit, quæ pro se, non est dubium signum redamationis, sed exploratissimũ. Postremo si amata amãti condolet, ac congaudet, se eum redamare apertissima ratione demonstrat. Veri autem amantis plurima sunt indicia, potissimum si uni tantum seruierit, & quidem semper: nemo enim dubitat eum amare, qui in unius seruitute diutius perseuerat: nam hic cætera ob amatam flocci facit: hic infelicem se arbitratur, si ad aliam, quàm ad amatam meditationem memoriamq; conuertit: hic est qui neminem feliciorem dicit se, cum amatam aut cernit, aut audit, aut tangit, aut quouis alio sensu fruitur: hic insuper est, quòd omnia ea amat, ac procurat, quæ amatæ sunt, aut uidentur bona: hic item est, qui continuis laudibus amatam ad sydera extollit: hic deniq; est, cui quæ amatæ placent, omnia placent, & quæ amatæ displicent, ipse abhorret. Quare id unum amoris ueriſſimũ, atq; redamationis indicium est habendum.

De locis quibus amatio, atq; redamatio sperandæ sunt in amantibus. CAP. LXI.

QVoniam autem perfectus Cupido (ut Aristoteles inquit) esse non potest, nisi ex amatione, atque redamatione constet: ideo loca narranda sunt, quibus in amantibus amatio, atq; redamatio sperentur. Sumatur igitur primum ab habitu ætatis: nam iuuenes facile amãt, facileq; redamant: amant enim, & cito (ut Aristoteles inquit) desistunt, eadem die propositum sæpe mutantes. hi uolunt totos dies una uersari, simulq; uiuere, & per iuuentam usq; ad trigesimum annum intelligo. Causa autem, quia ad concupiscendum aptissima sunt, potissimum ea, quæ uenerea uidentur: nam in huiusmodi incontinentissimi sunt, quippe cum (ut Aristoteles inquit) sint ad uenerem insatiabiles. Causa autem, quoniam pori, per quos scaturit genitale ipsum semen, angustissimi sunt: & quoniam tenuis, paucaq; humiditas, quæ per eos defluit, cito frigescit, ideo expulsioni inepta redditur. Quare rursum fricari desiderant, ut residuum expellatur. Contingit enim eis, quemadmodum illis, qui sunt in sudore: nam dum una sudoris pars scaturit, alia generatur, & expulsioni paratur. Accidit autẽ hoc maxime adulescẽtibus post annos quatuordecim. In his enim semine, & sanguine mẽstruo scaturientibus, genitalia, uuluæq; labra crassiora redduntur, atq; molliora, usq; adeo, ut fere claudãtur. Hinc fit, ut pro coitu insanæ euadant: non enim emittunt pro desiderio, siue manibus, siue uirga fricentur, propter causas assignatas: humor enim seminalis ui fricationum trahitur, non tamen emittitur propter meatuum angustiam, ut dictum est. Quare iuuenculæ tales potissimum custodiantur: nam facilime

facilime amore irretiuntur. & licet aduleſcentes poſt annos quatuordecim facile ad amandum, redamandumq; rapiantur, proueCtiores ſtabiliores ſunt: aduleſcentes enim cito concupiſcunt, citoq; ceſſant. Eſt enim eorum cupiditas quemadmodum ægrotãtium ſitis, uel fames, quæ licet acutæ ſint, pauxilla tamen re extinguuntur. Ad hæc iuuenes ſunt ambitioſæ, atq; honoris cupidæ, ſed cum in amoribus honores ſemper, & laudes amantibus exhibeantur, iccirco facile ad cupidinem laudibus, atq; honorationibus alliciuntur. Sunt inſuper iuuenes pecuniarum minime ſtudioſæ: non enim adhuc inopiæ periculum fecerũt, ut Elogium Pittacci in Amphiaraum. Quare ad cupidinem ſolis perſuaſionibus allici poſſunt. Accedit quòd iuuenes nec malicioſæ, ſed ſimplices, nec uerſutæ, ſed credulæ ſint: ſimplices quidem, quoniam uerſutias multas nondum inſpexerunt: credulæ uero, quoniam nondum in multis ſunt deceptæ. Quæ uero ſimplices, atq; credulæ ſunt, facile ad cupidinem deceptionibus capi potuerunt, ceu aues fiſtulis. Sunt præterea iuuenes bonæ ſpei: ſunt enim calidæ, quemadmodum qui uino pleni ſunt: uinolenti enim uino, iuuenes ſanguine: deinde nondum in multis aberrauerunt, ideo ſpe maxima uiuunt. Spes enim futuri, memoria autem præteriti eſt. At iuuenibus futuri quidem multum reſtat: præteritum autem breue fuit: propterea primo die nihil meminiſſe putant: ſperare uero cuncta: quare promiſſis facile irretiuntur. Sunt etiam iuuenes ad commiſerationem paratæ: quoniam ratiocinationis carentia probos, ac bonos omnes arbitrantur: ſua enim ſimplicitate, ac innocentia cæteros metiuntur, itaq; indigna ipſos pati mox credũt: quare facile eis perſuadere poſſumus, ut noſtrorum

dolorum

dolorum commiſereatur. Sunt qui mulieribus perſuadent propter hæc, ut nec ſenes, nec iuuenes redament, ſed inter hos medios. Senes quidem non, quoniam inepti ſunt rebus amatorijs: iuuenes uero minime, ſunt enim inſtabiles, uno die amantes, alio autem amatam odio habentes, iactabundi, qui ſe iactant ea cum amatis feciſſe, quæ nõ ſunt adhuc excogitata: ſunt inſuper ſuſpicionibus, ac indignationibus prompti: inſuper inſatiabiles, qui una amata non ſatiantur. unde concludunt, ſenem eſſe amore digniorem, quàm aduleſcentẽ: quippe cũ in una ſola quieſcat, ſitq; ſtabilis, ac mitis, non iactabũdus, nõ ſuſpicioſus, nõ indignationibus paratus. Secundus locus à genere eſt: nobiles enim ambitioſæ ſunt, atq; honoris, gloriæq; cupidæ: cũ enim aliquid adſit, id omne ad ſuam nobilitatẽ coaceruare ſolent, hanc ob cauſam ad maiorum claritatem, quæ eſt nobilitas, multos honores, cum poſſunt, congregant: hinc nobiles ambitioſæ ſunt, hoc eſt honoris, & gloriæ percupidæ: & quoniam in amoribus honores, & laudes plerunque amatis exhibẽtur, fit, ut nobiles hac honorandi arte ad amandũ, redamandumq; facile commoueantur: & licet ab illuſtri arce perſæpe fulmen ſæuum ueniat, tamen amandæ ſunt excelſæ, quippe cum uictoria humilium honorẽ non afferat. Præterea lõge magis placet ſperare dignißima, quàm uilia poßidere. Hieron tyrannus Syracuſanus apud Simonidẽ fatetur (ſi quæ Xenophon refert, uera ſunt) ſe Dialocam longe magis, quàm alterã ardenter deperire, quòd eam nõ facile poßidere poſſet. Ad hæc uiles, cũ poßideãtur, facile ueniũt in ſtomachũ. Tertius locus eſt à diuitijs. Nã nec diuitijs abundans, nec pauperie laborãs amandus eſt. Ille quidẽ, quia poteſt pecunijs multas emere, nulli amatæ fidus

fidus est. Præterea uirū in summa prosperitate cōstitutum redamare periculosum est: quippe cum ille amare nequaquam possit sine domesticis testibus, quibus omnia aperiat necesse est. Hic autem, quoniam propter inopiam rebus amatorijs studere nequit, præterea cum egeat, necessitatibus amatæ, cū oportuerit, haudquaquā subuenire potest. Deinde si redamatur qui in extrema pauperie constitutus est, redamatio absq; nota emptionis non erit. Creditur enim diuitem pretio cogere pauperem ad amandum. Quid enim turpius, aut fœdius esse potest, quàm uēdere, aut emere amorem? Adhuc in fortuna excelsa constitutus contumeliosus est, & superbus quasi omnia bona possideat, sic afficitur. Causa uero, quia diuitiæ pretium uidentur aliarū rerum, quarum dignitas æstimatur, ac iccirco cuncta uidentur emi posse diuitijs. Quia itaq; diues rerum pretium habet, scilicet diuitias, arbitratur se habere cuncta, ideo omnia flocci facit, & amores, & amatas, cum propter diuitias omnia possidere credat. Insuper qui in summa fortuna est, non modo amatis, uerumetiam principatu se haberi dignum putat. Quare non amat, cum in sua potestate omnia habere imaginetur. Quartus locus est à potētia: potētes enim quæ in principatu sunt cōstitutæ, dignæ amore sunt, facileq; redamantes, cum amari se sentiūt: sunt enim potentes ambitiosæ, honoris, gloriæq; cupidæ, sunt insuper honestiores, grauiores, atq; moratiores: honestiores quidē, quoniam moderātur se, cum propter honorem alijs uiuāt: grauiores autem, atq; moratiores, quoniam honestas mollis, compositaq; grauitas est: quòd si potētes alijs inferant iniurias, non in paruis, sed in magnis iniuriātur. Quare potentes digni sunt amore: quoniā si amātur, speratur redamatio,

matio. Cum enim ambitiosæ fuerint, propter honores amatorios coguntur redamare: & quia honestæ, graues, atque moratæ, non flocci faciunt eos, quos amãt, nec eos, à quibus amantur. Quintus uero locus est à pulchritudine: qui enim animo aut corpore pulcher est, et iam amat, potest redamationem sperare: quoniam pulchrum est amabile. Puella quoque pulchra amabilis est, & si amat, sperare redamationem debet. Sextus locus est ab eorũ gratia, quæ attinent ad nos, & hoc pacto turpes, deformesq́; si amauerint, sperare possunt redamationẽ: nam possunt qui corpore, animoq́; turpes sunt, gratiam habere in risu. Quocirca initia allicient amatam ad redamandum, in processu uero postquam puella commota erit, gratiosus uidebitur in singulis: rapto enim animo, cuncta amatæ uidebuntur pulchra, ac gratiosa. Diffunditur enim gratia post fascinationem ad omnia, & ad singula, quæ circa initium non erãt, nisi in uno. Hinc aliquæ redamauerunt ferrum (ut Iuuenalis inquit) quippe cũ gratia erat in eo. Aliæ uirilis membri magnitudinem, ut salaces, ac libidinosæ. Multæ enim dominæ in summa fortunæ constitutæ deperierunt famulos deformes, atq; deiectos homines, propter gratiam, quã in membro uirili, uel in potentia coëundi esse putabant: erant enim salacissimæ, ac libidinosissimæ, nec in coitu satiabiles. Aliæ choreas: aliqui enim sunt, qui in choreis gratiam habent, qui ab suis amatis redamationem propter illas nacti sunt. Aliæ modulationes, & cytharas, cimbalos, sonosq́; harmonicos, nõnullæ carmina, rhythmos, elocutiones, celebritatẽ in literis. Hunc in modum Corynna Ouidium, Lesbia Catullũ, Cynthia Propertiũ, Galathea Virgiliũ, Laura Petrarchã, Dantẽ Beatrix, aliæq; alios & poëtas,

poëtas, & oratores, & philosophos, cæterosq́; cuiusuis generis literatos deperierũt: nec solum propter gratiam, quæ erat in talibus, sed propter celebritatẽ nominis, quam ab his sperabãt, per hanc (ut Plato inquit in Symposio) in futurũ sperãda est immortalis gloriæ consecutio: huius enim gratia magis, quàm filiorũ pericula subeunt homines, pecunias erogant, laboresq́; nullos respuunt, ac deniq; sese morti exponunt: non igitur ab ratione puellæ quandoq; desiderio immortalitatis poëtas deperierũt, licet essent excelsæ, ut de Liuia Augusti filia narrãt, quæ ardenter redamauit Nasonẽ. Si enim Alcestes pro Admeto, Achilles pro Patroclo, & Codrus pro filiorũ regno perire uoluerunt, pro immortalitate speranda, cur & Liuia non debeat Nasonẽ deperire, à quo tanta immortalitas scaturit in dies? Multæ enim & quidẽ illustres Laura esse uellent, si adessent Patarchæ, tametsi genere, & loco humilẽ ortã esse tradãt, nec alia nobilitate, nisi pulchritudine præferendã. Hinc nonnulli dixerũt eos redamandos, qui studijs bonarum artiũ, qui literis, qui honoribus, qui uirtutibus eminent: ab his enim amatæ reportabũt perpetuitatem, quod est redamationis præmiũ. Aliæ sunt, quæ amãt uestiũ splẽdorẽ, in quibus nõnunquã tanta gratia est, ut deformitatẽ non permittat inspici. Nõnullæ ludos gymnicos, uenationes, cursus, grauitatẽ in incessu, adulationes aliæ: nec iniuria quidẽ: nã adulator amicus est simulatus, qui corã laudat, ac quæ puellæ sunt, omnia præconio extollit. Non ergo sunt corpore, atque animo deformes, spe redamationis omnino destituẽdi: quippe cum in alijs gratiã habere possint, qua puellæ animũ fascinãdo, tandẽ eam ad redamandum cõpellãt. Septimus ab honoribus exhibitis: cum enim

puellæ

puellæ naturali lege seipsas ament, coguntur etiam naturæ amare omnia bona, in quibus optime uiuere se existimãt. Et cum optima uita sit in honoribus, naturali quoq; lege compelluntur amare honores, quibus in optimo statu uiuant: quare & eos qui honores exhibent. Honoris partes, quæ puellis exhiberi solent, sunt memorationes, quæ fiunt carminibus, uel orationibus, uel id genus: templorum, & aræ constitutiones, in statuis, uel metallis depictiones: primi consensus, sepulchra, monumenta, picturæ, atq; exemplaria, inclinari, genu flectere, biretum attollere, loco cedere, adorationes, & id genus. Potest igitur gratia, quæ est Cupidinis initium, esse in honoribus exhibitis. Quod cum ita fuerit, redamare puella cogetur eum, qui honores exhibet. Hunc in modũ Fuluia tua aulica Ioanna magnanimanos ardenter redamat: nec ob aliam causam, nisi propter honores, quos à me sibi exhiberi in dies cẽset. Octauus, ab ipso amari: allicitur enim puella, cum cognoscit se amari: quippe cum amari iucundum sit: quoniam cum amamur, imaginatio nobis fit, quòd ea bona nobis insint, quæ sunt amore digna, quæq; omnes cupiunt. Hinc amãtium suspiria, atq; lacrymæ, & id genus mouent: nam ardentis amoris indicia sunt. Nonus, à uestimentorum, atq; ornamentorum uarietate. Varietas enim in omnibus, præsertim in uestimentis, & ornamentis iucunda est, & amabilis. Connenit enim naturæ, quæ semper in mutatione est: appetitui quoq;, qui non semper idem manet: præterea quod uno modo semper se habere constat, atq; fixi habitus est, satietatem parit. satietas enim dolorifica. hinc amantes nonnunquam alba tunica induuntur ad puritatem animi significandam. Tradunt enim coloristæ colorem album, cum

simplex

ſimplex ſit, & extremus color, puritatis eſſe indiciũ. Aliquando nigra: nam niger color firmitatis indiciũ, atq; perſeuerantiæ eſt, quòd ſuper eo nulla alia ſit tinctura. Interdũ rubra, eſt enim huiuſmodi color ultionis nota, quippe cum qui iraſcuntur, rubeant: eſt inſuper Marti ultiuo perproprius. Alteri rufa, aut fuſca, aut fulua, leoninaq;: tales enim colores taciturnitatem, & patientiã decernunt, quippe cum ſint remiſſi, Saturnoq; dicati, qui cum dominus genituræ eſt, homines facit tacitos, atq; ſecretos. Interdum ea ueſte, quæ carneo colore affecta eſt, qui uulgo incarnatus dicitur, ad ſignificãdum eum dolorem, quem ex rebus amiſsis ferimus, recuperabilibus tamen. In ſanguine enim talis color generatur, cum earum rerũ dolor affuerit, quæ amiſſæ recuperari poſſunt. Nonnunquam aurea, uel aureo colore intexta ad demonſtrandam lætitiam. Eſt enim color Soli attributus, qui ſuo fulgore ſublunare uniuerſum depurando omnia lætificat. Interdum uiolacea ad claritudinem tendente, aut colore moris tributo affecta, aut pauonaceo lucente intincta, ad induendum amorem. Eſt enim hic color eorum florũ, qui Veneri placebant. Aliquando ea ueſte, quæ cœleſti colore emicat, qui apud Gallos zelotypiã, apud nos fidem denotat: & quidem non ab ratione: nam azureus color uniformis eſt ſemperq; æqualis, modo nubes inter nos, & cœlum non interſit. Qualis fides eſt, quæ immutabilis eſſe debet, atq; æqualis. Interdum ueſte eo colore honeſtata, quem cineritium dicit Ouidius, Plinius autem cinereum, gruum proprium: hic enim anguſtiæ indicium eſt: quippe cum Mercurio attribuatur, qui anguſtiæ autor eſt: eſt inſuper uarius, qualis is eſt, qui anguſtia laborat. Aliquando ueſte uirenti colore illuſtrata, qui apud omnes

ſpei nota eſt: terra enim cum uiret, ſpem affert circa fructus. Qua ratione fit, ut color, qui ſiccis foliis accommodatur, deſperationis ſit ſignum. Interdum ueſte uerſicolori, uenuſta: color enim huiuſmodi zelotypiæ eſt nuncius. Sunt alij colores, quorum Alexander Aphrodiſeus in libro de ſenſibus meminit, & Gellius in noctibus Atticis, quos, quia longum eſſet omnes enarrare, conſulto prætermiſimus. Illud tamen prætereundum non eſt, puellis placere colores pro ratione naturæ: pituitoſis enim albus, miſtuſq; ex albo gratioſus eſt: ſanguineis autem cœleſtis, azureuſq;, morellinus, clarus, ſuluus ſiue aureus, uirens quoque: eis, quæ atra bili afficiuntur, niger, cæteriſq; qui ad nigrum attinẽt: eis autem quæ rubra bile, ruber, & alij, qui ad hunc uergunt: cæteris uero quarum naturæ permiſtæ ſunt, colores gratioſi ſunt, qui naturis conueniunt, quæ prædominantur, alijs non diſplicentibus, qui naturis concordant obtentis. Ouidius uero narrat puellas nigriuſculas ueſtibus pulchriores reddi, quæ albo colore, coloribuſq; ad album attinentibus emicãt: albulas uero nigris, atq; ad nigrum uergentibus: brunulas autem eis, qui albo appropinquant. nec modo à ueſtium uarietate, uerum etiam ab ornamentis, ceu in anulis, catenis, capitijs, zonis, atque alijs, quæ ad ornatum faciunt: in his enim amans ſe ornare debet, in quibus amatæ gratioſus uidetur. Et licet amatorij autores enitantur determinare ornamenta, fruſtra laborant, cum interdum ornatus excedens improbus ſit, & amatis diſplicens: oportet enim amantem in coma, unguibus, munditia manuum cæterorumq; membrorum, in odoribus, coloribus facici, nec non in lauacris, quæ carnem abſtergunt, ſe ornare pro appetitu amatæ

mata. Ouidius ergo qui talibus regulam affert, frustra laborauit: nec oportet se amantem ornare in alloquijs, in incessibus, in motibus manuum, & pedum, & in cæteris id genus, nisi pro ratione amatæ appetentis. Quare sicuti in appetitu puellarum nulla est determinatio, ita quoque in ornamentis nulla constitutio habenda est: illud tamen sit tibi cordi, mediocritatem in omnibus esse cunctis gratiosam, & auream: excessus enim rapit ad inuidiam, defectus autem ad irrisionem. Est autem mediocritas talium non partilis, sed struenda pro amantis atque amatæ conditione. Miloni enim in cibis & potibus, ut Aristoteles inquit, mediocritas non talis est accommodata, qualis cæteris hominibus: unde sicuti in cibis, ita & in splendore mediocritas emicat, modo accommodetur personis. Decimus ab obsequijs atque seruitijs. obsequiosi enim interdum alliciunt: procurant enim & honores, & bona honesta, & iucunda, & bona utilia, quæ secundum Aristotelem omnia sunt amabilia. Multæ enim puellæ duræ præ nimia obsequiorum multitudine mollescunt, præsertim cum in obsequijs honor non diminuitur. Vndecimus à muneribus: nam, ut Aristoteles inquit, sunt honoris indicia, non tamen eodem modo omnibus, sed alia apud alios honoratiora: est enim munus rei alicuius donatio ac honoris signum: & propterea tam æris auidi, quàm ambitiosi dona cupiunt, cum id donatio habeat, quod utique appetunt: quippe cum donum res sit, quam & auari desiderant, & quæ honorem affert, quem ambitiosi expetunt. Huius rei argumento sunt nobis Parthorum Reges, quos honoris causa nemo sine mune-

ribus uisitare poterat: uerum amatis munera pro emenda redamatione si offeruntur, in uilipendium cedunt, quippe cum amorem uendant, & qui ea offerunt, emant. Quare erunt non amasij, sed mercatores. Inter amantes igitur munera offerri solent ad significandum affectum: nam munus cum in auro offertur significat lætitiam, cum in argento puritatem, cum in ferro, cuius color ad nigrum attinet, firmitatem atq; perseuerantiam: simili ratione in lapidibus & floribus & stirpibus, cæterisq; omnibus, quæ in munere offerri possunt. Et quoniam eodem modo est de coloribus in muneribus, ut in uestibus, eos quos de uestibus diximus, uolumus sufficere. & quia epulum reducitur ad munus (est enim epulum publicum conuiuium in propatulo ciuibus exhibitum in signum amoris omnium uel alicuius) ideo interdum propter epulum allicitur puella: nam in eo introducuntur res quæ puellis sunt iucundæ, ut choreæ, modulationes harmonicæ, ludi laruatici, comœdiæ, harmonici soni & testudinum & cythararum, & cymbalorum, cæterorumq; id genus, quæ puellis gratiosa esse solent. Ferdinandus primus Sanseuerinus Salernitanorum Princeps, cum Salernitanam quandam puellam ardenter deperiret, quam fere nunquam uidere ipsi concedebant, eã ad epulũ accersiuit, ad quod omnes nobiles cõuocatæ uenerunt, & ipsa cum eis, ubi post multas choreas, quas cũ alijs egerat, concessum est ei ut cũ amata puella choreã haberet, ob quod non parum gratiæ consecutus est. Duodecimus ab ira, iracsi enim iucundum est, quia qui iracscitur, in spe ultionis est. Quod autem est in spe, iucundum est, unde & Homerus dixit iram esse melle dulciorem, nam in spe affert, quod iucundum est. Inducenda igitur est amata ad

iram,

tram, ut ulciſcatur: nam cum in ultione ipſa excedat, in iucunditatem trahitur, exceſſus enim iucundiſſimus eſt: cum uero trahitur in iucunditatem, allicitur: hinc recte fertur illud Terentij, Iræ amantium reintegratio amoris eſt. Hac ratione fit, ut cum amans cedit, alliciat, cũ enim in rixus, amatorijsq; contentionibus amatam uincere patiatur amãs, eam ad amorem rapit: nã exceſſus, atq; uictoria iucũdiſſimæ ſunt excedẽtibus. ſimili ratione, ſi in iocis ludisq; amatam uincere permittit, cõmouet. Decimustertius ab adulationibus: ut enim diximus, adulator iucundus eſt, nã & admirari, & amare uidetur, quæ iucũdiſſima ſunt. hinc poëtæ redamati ſunt à puellis, quoniã carminibus adulatorijs laudes decãtãt. Decimusquartus à repræſentationibus, quæ fieri ſolent in laruis: ſunt enim repræſentationes laruaticæ iucundæ, aut quia inducunt riſum, quo pellitur mœſtitia, aut quia imitantur, eſt enim in imitationibus iucunditas, quippe cum admirationem afferant, quæ iucundiſſima eſt: inſuper annotatur in eis ingenium imitantis, quod iucundum eſt: deinde ducunt ſpectatores ad ratiocinandum ſintne ad amuſsim, an non exacte, quæ omnia iucunda ſunt, quare alliciunt. hac ratione omnia ridicula iucundiſſima ſunt: pellendo enim dolorem inducunt uoluptatem: quare rapiunt ad cupidinem. Decimusquintus à precibus, preces enim & thura, & adorationes placent Deo, ipſumque alliciunt ad uotum, unde Martialis, Offendunt nunquam thura precesque Iouem. Per preces etiam quæ fiunt aut in uerbis aut carminibus, aut in orationibus honorantur amatæ. At honores alliciunt, quare & preces. Hæc igitur ſunt loca, quibus allicere ſolemus amatas ad redamandum, quibuſque reda-

matio ſperanda: ſunt & alia, quæ cum careant ratione, prætereunda ſunt.

De Arte inducendi amatam duram ad redamandum. CAP. LXII.

MVlti de arte amandi ſcripſerunt, qui omnino arte dicendi caruerunt. Ouidius præcepta tradidit, ſed ſine arte. Equicola etiam profitetur afferre artem, cum inquit artem amandi, hoc eſt, ducendi amatam ad redamandum, eſſe conſtanter amare. Qui enim perſeueranter atq; ſtabiliter amat, tandē ab amata redamabitur: unde & in prouerbio Martialis eſt, Si uis amari, ama. Alibi uero aſſerit artem eſſe, ut ſit qui amat officioſus in omni uirtutum genere. Qui enim talis eſt, non ſolum amatam, ſed etiam deum ad amandum trahit. Alibi autem ait in arte ducendi amatam ad redamandum duo contineri, commendationem, & concitationem. Eſt enim commendatio ea pars orationis, in qua laudes amatæ continentur: nihil enim magis allicit quàm laus, quæ eſt uirtutum præmium. Cum enim Themiſtocles interrogaretur, cuius uox eſſet iucundior, reſpondit, eius qui de me laudes bene decantat. Concitatio uero ea pars perſuaſionis eſt, quæ mouet ad affectus. Sed huiuſmodi artes, uenia ſit uerbis, carēt arte. Id enim quod dicit, artem eſſe conſtanter amare, non ſapit artem, quoniam ſine arte amantes id agunt, & quandoque uſqueadeo, ut amore ægrotent. Id autem quod poſtea aſſerit, ut ſit officioſus, non ad cupidinem amatam inducit, ſed amicitiam officioſam: quæ à cupidine differt, quemadmodum cœlum à terra. Præterea nec id ſatis eſt: per illud enim non haberetur, niſi ars qua redditur amans amabi-

mabilis: sed ultrà requiritur præparare amatam talem quales sunt personæ amatiuæ. Quod uero tertio inquit, persuasionem qua trahitur amata ad redamandum, continere commendationem, & concitationem, demonstrat eum artem dicendi nunquam legisse: nam loca, quæ sumuntur à commendatione, ut Aristoteles inquit in libro rhetoricorum primo, sunt propria ad persuadendum in genere demonstratiuo. In genere enim demonstratiuo persuademus ab honesto, atq; laudabili, tanquam à proprio medio aut à contrarijs. In genere deliberatiuo ab ipso bono utili uel damnoso. In genere iudiciario, ab ipso iusto, ac possibili, uel à contrarijs. Possumus autem in omni oratione persuadere per omnia hæc, non tamen tanquam per propria, sed tanquam per communia, quatenus accidit, ut aliquando eadem sint honesta, utilia, & iusta. Sed quoniam persuasio, qua amans inducit amatam ad redamandum, si uideretur in genere reponenda, non nisi in genere deliberatiuo collocanda esset: ideo loca propria huic persuasioni accipi deberent à bono utili. Quare quod dicit, artem non sapit. Concitatio autem est bona in omni genere, quoniam in omni genere, ut inquit Aristoteles, inducere ad affectus persuasiuum est, non tamen est proprium medium: immo ut Aristoteles inquit, apud non nullos lege cauebatur, ut apud Areopagitas. Quare dicamus, non idem esse persuadere, & inducere ad affectus. qui enim persuadet, dicit per ueri similia, sicuti dialecticus loquitur per probabilia. Et quoniam in tribus generibus dicere potest, aut in genere demonstratiuo laudando uel uituperando, & tunc per loca, quæ accipiuntur ab honestis, laudat: per loca

uero quæ ſumuntur à turpibus uituperat. aut in genere deliberatiuo trahendo auditores ad deliberandum, uel euitandum, & tunc per loca, quæ ſumuntur à bono, utili perſuadet ad proſequendum, per contraria uero ad fugiendum. aut in genere iudiciario trahendo iudicem aut ad ſoluendum uel condemnandum, & hoc pacto per loca quæ ſumuntur à iuſtis & æquis, aut ab iniuſtis, & iniquis hortatur. At qui inducit ad affectus, oportet dictis aut factis aut modis eos quos afficere uolumus, effingere tales eſſe, quales affectant. Deinde quos afficere uolumus præparare tales oportet, quales ſunt perſonæ affectiuæ. uerbi cauſa, uolo Fuluiam inducere ad me redamandum, ſi hoc facere uoluero, oportet uerbis aut factis aut omnibus modis quibus fieri poterit effingere me talem eſſe, quales ſunt, qui redamatione ſunt digni, quod faciam procedendo per omnia loca, quibus amatio & redamatio ſperandæ ſunt: dico per omnia, ſi fieri poteſt, aut per plura, aut per quædam, aut per quæ fieri eſt poſſibile: nam ut diximus, interdum gratia in uno ſolo cernitur, quæ ut rapiat ſufficit: poſt raptum uero, cum ad omnia diffundatur, coget ad perfectam redamationem. Quare primo iuuenem me effingã, cum ſim ſenex. Quod ſi non mouerit, me nobilem eſſe effingere enitar: nam cum ſim, nobilitatem amplificabo. Quod ſi non ualuerit, effingam me diuitem aut in excelſo ſtatu conſtitutum, aut pulchrum, aut gratioſum, aut honorificum promittendo honores, aut me eam ardenter deperientem per ſuſpiria & lacrymas cum abeſt, per lætitiam & gaudia cum adeſt: aut enitar me ſplendidum oſtendere ex ſplendore ueſtium, & ornamentorũ, aut obſequioſum, aut munificum, aut iracundum, præſertim eo-

rum causa quæ ad honorẽ attinent. Quemadmodum cum Fuluia equitando ad aulam meam uenerit, iratum me effinxi, asserens illud non conuenire pudori uirginis: hæc enim ira fuit nõ parua redamationis causa: aut adulantẽ, epigramata scribendo laudatitia: aut repræsentatorem, aut deprecatorem, scribendo ad ipsam carmina, aut literas deprecatiuas: per hæc enim omnia, aut per plura, aut per quædam effingendo, aut uera demonstrãdo, disponam me esse amabilem. Qui autem amabilis, amando tandem redamabitur. Secundo loco oportet Fuluiam præparare talem, quales personæ sunt amatiuæ. Quod faciam demonstrãdo me congaudere propter eius bona, condolere uero propter mala: non alia de causa, nisi eius gratia, demonstrãdo etiã me eam amare. Quare per hæc cogetur Fuluia, uelit, nolit, me redamare, si eam ardenter deperiero.

De arte inducendi amatam ad riualis odium. CAP. LXIII.

QVoniam accidit non raro, amãtes habere riuales, ideo de arte inducẽdi amatam ad riualium odium oportet transigere: sunt enim riuales, quiq; corriuales dicuntur, æmuli amasiarũ, quasi in unum amorem deriuãtes. Hi enim insupportabiles sunt: nemo enim Iouem riualem ferre posset, ut poëta inquit. Si igitur amatas ad riualium odium ducere uoluerimus, ex Aristotelica arte oportet primo effingere, disponere atq; simulare uerbis, aut modis, aut actionibus riuales esse tales, quales sunt, qui odio digni sunt. Quod fiet discurrendo per loca contraria his, quibus usi sumus ad demonstrandum aliquem amabilem esse, ut senem, aut ignobilem, aut pauperẽ, aut deiectũ, aut deformem, aut agrestem, aut inhonorificum, aut quòd non

eam, sed alias amet, aut in uestibus, & ornamentis obscurum, aut inobsequiosum, aut non munificũ, aut ex leuibus causis iracũdum, aut austerum, aut syluestrem, aut superbum. Per hæc enim omnia, aut per plura, aut per quædã, extenuando ea, quæ faciunt ipsum amabilẽ, si qua habet, aut amplificãdo ea, quæ ipsum reddunt odio dignum, præparabimus riualem talem, quales sunt, qui odio sunt digni. Secundo loco oportet præparare amatam talem, quales sunt personæ obscuræ per loca ad hoc conuenientia. Sic enim inducemus amatam, ut riualem odio persequatur.

De arte inducendi amatam ad commiseratio-nem. CAP. LXIIII.

SEd quoniam commiseratio, ut Rhetorici dicunt, est alienæ miseriæ quædam in nostro compassio, qua, si utiq; potuerimus, subuenire misello calamitosoq; cõpellimur: ideo doceamus amatam inducere ad commiserationem: nam per hunc modum subuenire compelletur misello calamitosoq; amanti: & primo, quæ miserabilia sunt, aperiamus: statim enim colligitur ars. Sunt igitur miserabilia, quæcunq; ex eis quæ dolorem inferũt, corruptiua sunt, ut mortes, uulnera, uerbera, corporis afflictiones, senectus, morbi, cibi inopia. Item etiam ea quorum fortuna est causa, si magnitudinem habeant, ut neminem amicum habere, turpem, imbecillem esse, atq; mutilatũ, malum euenire, à quobonum contingebat, hæc sunt miserabilia. Si itaq; amatam ducere uolumus ad commiserationem, amans primo debet talem se effingere, quales sunt, qui commiseratione digni sunt: uti qui sit propter ipsam aut in morte, aut prope, aut quòd propter eam uulnera, corporis afflictiones passa sint, aut quòd propter eam morbis laboret, aut

quòd

quòd propter eam uenerit in odium omniũ, aut quòd propter eam euaserit imbecillis aut mutilatus, aut quòd propter eã mala recipiat, unde bona recipere solebat. Deinde debet præparare amatam talem, quales sunt personæ commiseratiuæ: sunt enim personæ commiseratiuæ, quæ aut se, aut suorum aliquem putant ea mala pati posse, quæ sunt uel corporis corruptiua, uel damnosa, aut dolorifica, aut cætera his similia. At si uelit amplificare commiserationem, licet hoc fieri possit, ut Aristoteles inquit, tum ex personis, quibus commiserantur, tum ex gestis: de amplificatione commiserationis ex gestis dicendum: ea enim quæ ex personis est, non multum uidetur ad propositum. suppo namus itaq;, ut Aristoteles inquit, afflictiones tum maxime commiserabiles esse, quum fuerint præ oculis: cum uero non fuerint præ oculis, sed aut præterita, aut futura multos annos, oportet eas effingere, ut præsentes, atq; præ oculis per quædam similia, quæ ea referunt, ut uoce, corporis motu, ueste, ac generatim actionibus, quæ uerba cõsequantur. Hæc enim faciunt, ut mala commiserabilia sint quasi præsentia, atq; præ oculis. Vnde in morte Cæsaris Dictatoris, M. Antonius duxit Romanos ad cõmiserationem: Primo ponendo corpus in publico uulneribus mortalibus confossum, uestes sanguine intinctas: demonstrando deinde arma, quibus fuit cõfossum: postea referẽdo uerba, quæ dixit cum uulneribus confoderetur. Quod si fieri non potest, quia præterijt, aut futurũ est, oportet hoc effingere in similibus: per similia enim quæ præterierunt, apparent, ut præ oculis, ac ut præsentia. Hæc enim mouent ad commiserationẽ, potissimũ si ad actiones uerba accõmodentur. Patet igitur

tet igitur tunc augeri commiſerationem, quando afflictiones præ oculis, aut præſentes ſunt: cum uero nō ſunt, oportet illas per quædam ſimilia, quæ eas referunt, facere ut præſentes, ut uoce, corporis motu, ueſtibus, atq; actiōibus, quæ uerba conſequantur: ſic enim ut præſentes, atq; ut præ oculis factæ mouebunt. Quando igitur amans afflictiones effinget, uocibus, lacrymis, corporis motibus, ſuſpirijs, ueſtibus, actionibus, uerbis, quæ profert, accōmodatis, amatæ commiſerationem amplificat.

De arte inducendi amatam ad æmulationē cuiuſdā alterius amatæ ſaltē ſimulatæ. CAP. LXV.

QVoniam amatæ, ut æmulentur alias puellas, inducunt interdum ad redamandum, de arte ducendi amatam ad æmulationem alterius amatæ, breuibus percurramus: & primo dicentes æmulationē dolorem quendam eſſe: propterea quia bona quædam, & honorabilia uidentur ineſſe natura ſimilibus: quæ ipſe quoq; æmulator aſſequi poſſet, & nō aſſequitur, ſed enititur aſſequi. Dico dolorem, non quoniam hæc bona alijs inſunt, ſed quia non ſibi quoq; inſunt. Inuidus uero dolet, quia bona & honorabilia alteri inſunt, non quia ſibi non inſunt. Qui enim æmulantur, ad conſequenda bona, & honorabilia ſe parant, quæ alij conſecuti ſunt. At qui inuidēt, impedire ſtudent, ne alij bona conſequantur, non curantes ſi ipſi non conſequantur. hinc patet quæ ſint perſonæ æmulatiuæ, ſiue æmulatrices, ſiue ut ita dixerim æmulariæ: ſunt enim æmularij qui ijs bonis ſe dignos arbitrātur, quæ non habēt, modo ſit poßibile ea habere, & alij ſimiles natura habent: nullus enim ijs bonis dignum ſe putat, quæ ſibi impoßibilia apparent. Tales ſunt iuuenes, & magnanimi, & qui ea bona

ea bona habent, quibus præclari uiri digni sunt, ut diuites, & qui sunt in multorum gratia, & amicitia, & principes, & cæteri id genus: omnes enim isti sunt æmulatiui suorũ similium, quando sui similes in talibus excesserunt, uel in cæteris id genus. Insuper æmulatiui siue emularij sunt qui à cæteris digni existimantur: itemq; & qui nobiles sunt, quorum aut maiores, aut cognati, aut familiares, aut gentiles, aut patria præclara est: hi enim talibus bonis se dignos arbitrantur, & in quibus sui similes enitent: bona uero quorũ causa æmulationes emergunt, sunt bona honesta, honores, diuitiæ, & quæ utilia sunt ad benefaciendum, potentia, artes, doctrinæ & id genus. Sunt insuper honores benefacientibus atq; probis exhibiti, forma, robur, sanitas, & cætera id genus: æmulabiles autem sunt, qui in huiusmodi bonis sibi similes, atq; pares exuperant, ueluti qui exuperant in fortitudine, aut in sapientia, aut in principatu: hi enim æmulabiles sunt, quia multis prodesse possunt. Adhuc oratores, qui dicendi arte excellunt, insuper & hi quibus multi uellent similes esse, uel propter amicorum multitudinẽ, aut propter animi rationem: præterea sunt æmulabiles, quorum laudes, honores, & gloria decantantur à poëtis, uel à scriptoribus, quiq; monumentis æternitatis mandantur ab eisdem: contrarij his contemnuntur, atq; despiciũtur. Nunc de arte inducẽdi amatam ad æmulationem dicamus: nam oportet præparare amatã talem, quales sunt æmulariæ personæ, & alteram amatã, cuius æmulatio postulanda est, talem, quales sunt personæ æmulabiles, ex dictis locis uidelicet, & ex dictis causis. Verbi causa, Volo ex arte ducere Fuluiam ad æmulationem Lauræ, quæ fuit Petrarchæ puella, parabo Lauram talem

talem quales ſunt æmulabiles mulieres, dicendo Lauram, quia adamauit Petrarcham, qui eam deperiuit, fuiſſe monumentis æternitatis mandatam, laudatam, honoratam: poſtea parabo Fuluiam talem, quales ſunt mulieres æmulatrices, dicẽdo eam eſſe iuuenẽ, non minoris formæ, atq; concinnitatis, eſſeq; eam puellam, quã ſi Niphum redamauerit, omnes exiſtimant dignam laudibus, honoribus, ac muneribus, quibus Laura fuit digna: imo maioribus, cum ipſa ſit pulchrior, & moratior, & non minoris excellentiæ, atq; nobilitatis: ſic enim ducetur tandẽ ad Lauræ æmulationem. Sed quoniã, ut Ariſtoteles inquit, quæ præ oculis ſunt, atq; præſentia magis mouent, effingenda eſt altera quædã amata, & hoc in caſu deſtitutæ ſpeciei: præparandaq; talis, quales ſunt mulieres æmulabiles, pro locis, quæ & à laudibus, & ab honoribus, & à muneribus perpetuitatis ſumuntur: uerbis, modis; geſtis fingẽdo eam propter hæc me adamare: deinde parãda eſt Fuluia talis, quales ſunt mulieres æmulatrices per eámet loca, quæ diximus, aſſerendo ipſam eſſe iuuenẽ, non minoris formæ, atq; concinnitatis, & reliqua. Et quoniam poteſt hæc æmulatio fieri aut per ipſúmmet amantem, aut per aliquam intermediam perſonam huius artis nõ imperitã, per tertiam huiuſmodi perſonam, cum fieri poteſt, æmulatio paranda eſt, per quã longe facilius commouebitur Fuluia ad æmulationem amoris, ut uidelicet de ipſa ſimiles laudes, honores, muneraq; æternitatis decantentur. Per eandem artem riualis duci poteſt in contemptum, parãdo eam talem, quales ſunt homines deſpicabiles, & amatã eſſe talẽ, quales ſunt mulieres deſpicantes: per loca uidelicet contraria ijs, quæ diximus in arte æmulãdi. Hæc pauca de arte amãdi.

Quoniam

Quoniam plura amantes à natura edocti assequuntur.

Cupidinem nō esse fascinationē. CAP. LXVI.

QVoniā spirituosus uapor ex sanguine creatur: ita quoq; & ipse similes sibi radios per oculos quasi uitreas fenestras emittit: atq; etiam sicut cor mundi solo suo circuitu lumen, perq; lumen uirtutes suas ad inferiora demittit: sic corporis nostri cor motu suo quodam perpetuo proximum sibi sanguinem agitans ex eo spiritus in totum corpus, perq; illos luminū scintillas per membra diffundit quidem singula, per oculos autē maxime: ad altissimus quippe corporis partes spiritus maxime, cum sit tenuissimus, euolat, eiusq; lumen per oculos (cum ipsi perspicui sint, atq; omniū partium nitidissimi) uberius emicat. qui autē radius emissus ab oculis uaporē secū spiritualem trahat, & uaporis sanguinē, ex eo perspicuum: quoniā lippi, & rubentes oculi spectantis proxime oculos radij sui emissione cogūt morbo simili laborare. ubi apparet & radium usq; ad obuiū illum protendi, & cum radio unà uaporem corrupti sanguinis emanare, cuius contagione oculus spectātis inficitur. Scribit Aristoteles, mulieres (quando sanguis menstruus defluit) intuitu suo speculum sanguineis guttis sæpe fœdare. Quod ex eo fieri arbitror, quia spiritus, qui uapor sanguinis est, sanguinis quiddā tenuissimū esse uidetur, adeo, ut aspectum oculorum effugiat, sed in speculi superficie factus crassior, clare perspicitur. Hic si in rariorem materiam aliquam, ceu pannum, aut lignum incidat, ideo non uidetur, quia in superficie rei illius nō resistat, sed penetrat: si in densam quidem, sed asperam, sicuti saxa, lateres, & similia, corporis illius inæqualitate dissipatur, & frangitur: speculum autem propter duritiem

sistit

siſtit in ſuperficie ſpiritū, propter æqualitatē autem, lenita temq; ſeruat infractū, propter nitorē ſpiritus ipſius radiū iuuat, & auget, propter frigiditatem rariſsimam illius nebulam cogit in guttulas: eadem fere ratione quoties hianti bus faucibus obnixe anhelamus in uitrum, eius faciem tenuiſsimo quodam ſaliuæ rore conſpergimus, ſiquidem halitus à ſaliua euolās, in ea materia compreſſus relabitur in ſaliuam. Tunc ex his Platonici cupidinem, faſcinationē quandam eſſe aſſerunt, quatenus patefactus amatæ oculus, & in aliquem intentum, radiorum ſuorum aculeos in adſtantis oculos iaculatur, atq; etiam cum aculeis iſtis, qui ſpirituum uehicula ſunt, ſanguineū uaporem illum, quem ſpiritum diximus, intendit: hinc uirulentus aculeus trāſuerberat oculos, cumq; à corde percutientis mittatur, hominis perculſi præcordia quaſi regionē propriam repetit, cor uulnerat, inq; duriore dorſo hebeſcit, reditq; in ſanguinē: peregrinus hic ſanguis à ſaucij hominis natura quodam modo alienus, ſanguinem eius proprium inficit: infectus ſanguis ægrotat: hinc cupido fit, qui in corde ipſo reſidet, in quo infectus ſanguis ægrotat: quippe ægrotatio effaſcinatio fit, & cupido. Rem hāc Muſeus, Propertius, & Ouidius probarūt, cum per oculos puellæ ſe captos eſſe aſſerant. Apuleius dicebat ſuos oculos ſibi nocuiſſe, qui ſui doloris, ſuæq; ſalutis cauſæ fuerunt. Quintilianus etiam ait in oculis omnē noſtrā appetitionē habere, & hac ratione Plinius credidit eum, qui oculos oſculatur, animam atq; cor oſculari. Sed hæc (uenia ſit dicto) commēta ſunt, atq; rhetorici colores: nam ſi ita eſſet, ut fingunt, ſemper cupido eſſet morbus, imo deterius quippiam quàm morbus, & faſcinatio morbo ipſo deterior. At Galen. medicus celeberrimus

berrimus cupidinem morbum esse non asserit, nisi ad insaniam transierit, qua affligi eos inquit, qui perdite amant. præterea fieri non potest, ut sanguis ad cor alicuius delatus, illud uertat in cupidinem eius amatæ, è qua emissus est, nisi amata sanguinem, quem emittit, cupidinem infectum habuerit: alioquin sanguis cupidine non affectus, cor cupidine afficere posset. At sæpe ijs à puellis ad cupidinem rapimur, quorum sanguis nullo omnino cupidine infectus est: quo uero modo è puellis cupido in nobis ingeneretur, superius satis est exploratum.

Non est uerum nos amare, ut Adrastia dixit, quoniam anima intuitu pulchræ puellæ recordatur diuinæ pulchritudinis. CAP. LXVII.

Est insuper commentitiũ dicere, nos hac ratione puellas amare, quoniam anima intuitu ac aspectu pulchræ puellæ recordatur eius diuinæ pulchritudinis, quam uiderat, dum creata est in cœlo. Quod Adrastia probat: nam, ut superius diximus, cum in omni puella pulchra diuina pulchritudo emicet, omnem puellam æquo affectu cupidinis amans amaret. Cuius contrarium obseruatio demonstrat, cum circa amores amantes non secus se habeant, quàm concupiscentes circa cibos, & potus. Deinde quod non est, repræsentari non potest. At deus non pulcher, sed ipsa bonitas est, ut superius est exploratum. Quòd si Adrastia in deo bonitatem pulchritudinem intelligit, diuina bonitas non solum in pulchris, sed in omnibus rebus emicat, quibusdam, ut Aristoteles inquit, clarius, alijs autem obscurius. Quare omnem rem amare deberemus: quippe cum in omni creata re diuina pulchritudo inspiciatur.

Nec uerum est id quod Popilia inquit, animalia muta non semper amare, quòd sint rationis expertia, nec quod Turpilius inquit. CAP. LXVIII.

Est etiam longe magis commentitium id quod Popilia inquit, animalia muta non semper amare, quòd sint prudentiæ atq; rationis expertia: ac si amare ad rationem attineat, hoc commentitium est: nam si amare sit, ut ipsa inquit, desiderare marem, aut fœminã ad libidinem, istud non ad rationẽ attinet, sed ad naturam, ut Plato inquit, qua animalia, ut sibi similia in sibi similibus generent, semper fœminam appetunt: per hoc enim, ut Aristoteles inquit, & Plato, animalia diuino & immortali esse participant. At si amare est desiderare hanc uel illam fœminam, ad generãdum sibi simile, hoc uoluntarium est. Potest tamen ad rationem pertinere, si secundum legem rationemq; reclam desideretur: sin autem præter legem, nec ad rationem, nec ad prudentiam attinet. Fuit igitur quod Popilia dixit, libidinosæ, salacis mulieris sententia, nõ autem cõtinentis, aut temperantis. Id etiam quod Turpilius Suessanus Poëta comicus ait, omnes deos ad amantium præsidium inuocandos esse uenere sola excepta, quòd amare sit res diuina, etiam commẽtitium uidetur. Amare enim, hoc est, desiderare fœminam sui generis, ut in ea simile generetur, opus naturæ est, quæ ab ipsa dei prouidentia regulatur, uerum hac ratione diuinum opus esse potest: unde & Themistius dixit opus naturæ esse opus intelligentiæ, non erratis, hoc est dei, ut Auerroës exposuit: amare autẽ, quod est ab hac uel illa fœmina pulchra capi, ut pulchrum in pulchro fiat, nec naturæ nec dei opus est, si præter legum, atq;

atq; rationis institutum fuerit: sed si pro lege & ratione, & naturale, & diuinum, & humanum est.

De causis cur eadem puella non ab omnibus æquo cupidine ametur. CAP. LXIX.

SEd quoniã uidemus cupidines, non eadã ratione emergentes, sed ueluti sunt appetitus ciborum & potuũ: alij enim alios cibos uel potus concupiscunt: sic alijs aliæ puellæ gratiosæ sunt: ideo de causis huius differentiæ differendum. nam licet superius fuerit consideratum, hic magis idoneum est, cum locus sit, ubi de cupidine agitur. Pausanias tradit naturale esse amare puellam pro generatione complenda: sed hãc uel illam deperire, à casu atq; fortuna est: signo autem huius nobis sunt Achæi: qui amorem cum fortuna in Egira adorare solebãt, nec alia ratiõe, nisi quia amorem nemo sine fortuna assequi potest. Theocritus etiã hoc probauit ex eo, quoniam interdum obseruatum est amantes turpissimas deperire, nec ob aliud nisi quia hanc aut illam deperire à fortuna est. Iuuenalis quoq; parum discordãs inquit, factũ est in partibus illis, Quas sinus abscõdit. Sed opinio hæc philosophiam nõ sapit: nam licet occursus huic uel illi puellæ sit à fortuna, insuper & commoditas uidendi, cupido tamẽ non à fortuna est, qui postquam ipsa uisa, atq; inspecta est, affectus est appetitus sensitiui, cui occurrit pulchritudo mouens: deinde quod casu uel fortuna est, raro euenit. At uisa puella gratiosa, plerunque is, qui aptus est amare amat. Aristophanes apud Platonem in Symposio fabulatur in prima mundi origine ex duobus unum factum esse hominem Androgynum: à Ioue uero unumquemque diuisum esse in duos, ut Androgynus

imbecillior redderetur. quando igitur euenit, ut aliquis homo eam fœminam inueniat, cum qua androgynum conficiebat, conuenientia naturæ alter alteram deperit: quod est dicere eam amantem deperire, cum qua genio, natura, stella, idea cõuenit. Stella quidem, nam à stellis credũt omnia proficisci, etiam amores: Solus enim homo generat hominem. Natura uero, qui enim natura, hoc est ut dicunt, complexione, facile ad amorem congregãtur: sanguineus enim sanguineam, pituitosus pituitosam amat: est enim amor cõuenientia quædam. unde & prouerbio dicitur, similes cum similibus facile congregãtur, ut figuli cum figulis. Per accidens tamen potest esse contrarietas, ut Aristoteles inquit. Genio autem, nam illi se mutuo amare solẽt, quorum unus est genius: habet enim (ut Plato inquit) unusquisque genios duos, alterũ uitæ, alterum professionis custodem. Idea deniq;, quoniam anima in cœlo orta omnium rerum creatarum ideas detinet: eam itaq; deperibit, quæ ea idea conuenit, quæ tunc in mente uigebat. Sed nec huiusmodi causæ sunt naturales: nam causa, quæ ex stellarum concordia est, friuola uidetur: nam uisum est eodem die iuuenes aliquam puellam deperire, & odisse. cœlestis autem causa non est mutabilis, cum semel in genitura amãtis sit instituta, quæ postea, ut Ptolemæus inquit, inuariabilis manet. Simili ratione refutatur causa naturalis: nam conuenientia naturæ uitæ coæua esse uidetur: non autem amantium conuenientia est uitis eorum coæua. Refutatur similiter et causa, quæ genij conuenientia fingitur: quippe cum homines amici, in processu temporis inimici euadant, quorum tamen semper idem genius esse uidetur. Causa uero, quæ accipitur ab idea commentitia est. sunt enim huiusmodi ideæ figmenta, ut

Aristo

Aristoteles demonstrauit, etiam qui semel mutuo diligerent se, per omnia uitæ tempora reciproce se adamarent: quippe cum causa simul agens, non mutetur in cõtrarium. Tandem iuniores tradunt amoris cupidinei ortum exoriri ex conuenientia in naturis, quas dicunt complexiones: amoris uero auctionem accrementumq́; amorum similitudine in affectibus, & studijs: cupidinis autem perseuerantiam seruari à consuetudine mutua, conuersationeq́; reciproca. Aristoteles uero inquit, amare puellam lege naturæ esse datum, ueluti cibum, potumq́; concupiscere: hãc autem uel illam, lege indiuiduæ naturæ: ad eam enim unusquisq; rapietur, quæ propriæ ac indiuiduæ naturæ gratiosa est. & cum indiuidua natura uariationem subeat, adeo ut non sit uespere eadem natura, quæ fuit mane, hinc fit, ut quæ gratiosa hodie, cras nõ gratiosa sit. fouet autem huiusmodi gratiam morum, atq; affectuũ, studiorumq́; similitudo, & frequens cõsuetudo. Nec tamen ab eisdem corporis pulchri partibus amantes capiunt omnes, ut superius dixi mus: aliquibus enim in occursu primo gratiosi fuerunt oculi, ut Anacreonti, & Sophocli: aliquibus faciei splendor, ut Pindaro: aliquibus capilli, ut Ammithio Milesio, fortasse propter indiuiduarum naturarum similitudinem.

Quòd amor non cesset in fruitione cupidinea, nec post. CAP. LXX.

MAgna inter amantes digladiatio fuit, abeátne cupido cum amans fruitur amata, an adsit adhuc. prima enim ratione uidetur abire: nam ut Aristoteles inquit, habitus cum fuerint præsentes in materia, cessat motus. quare cum fruitio cupidinea præsens fuerit, amor cupidineus, qui erat motus quidam ad eam, cessabit. Sed qui

philosophus est, quæstionem huiusmodi facile diluere poterit. nam potentia materiæ, qua formam appetit, est, ut philosophorum uerbis utar, altera absoluta, qua materia formam appetit, altera respectiua, qua appetit hanc uel illam. prima est materiæ coæua coæternaque: perpetuo enim materia emittit formam, & nouam recipit, quare perpetuus est appetitus formæ: huius autem, aut illius mortalis. Insuper quemadmodum appetitus cibi est homini coæuus, nec cessat, licet uescatur, sed cessat appetitus, qui erat ad hũc uel illum cibum, sic desiderium fruendi amata puella, est perpetuum uitæ, donec in odium uertatur: desiderium uero fruendi puella eadem secundum hunc uel illum actum cessat, tum in fruitione, tum etiam post: quippe cum ad præteritum nulla sit appetitio. non autem desinit desiderium fruendi eadem, cum regenerabitur semen pro alia fruitione sufficiens: fieri tamen potest, ut in quibusdam pro certo tempore omne desiderium abeat, immo, ut uertatur in odium: pueri enim (ut Aristoteles inquit, libro problematum) cum primo coire inceperint, post fruitionem uoluptificam, amatam oderunt: hoc enim ex accidente est: sustinent enim pueri in huiusmodi actibus maximam permutationem, non tantum in corporibus, uerum in animabus: molles enim sunt, ualdeque passibiles: post coitum itaque oderunt, quia recordantur mox eius fœditatis abhominabilis, quæ fuit in coitu, quo fit ut reducantur ad pudorem, odiumque amatæ: insuper recordantur eius laboris, quem in coitu sustinuerunt, cuius non recordantur prouectiores, cum eum non subierint: quare ex his causis amorem in odium uerterunt, quod eo usque perdurat, quousque nouum semen stimulans refecerint

rint: ceſſat igitur omne deſiderium pro tempore: non autem ſimpliciter ſecus in puellis: puellæ enim eis quibus primo coniunguntur, mirabili amore afficiuntur, & poteſt cauſa eſſe, quoniam mas eſt perfectus, puella manca, ac mutilata: cum itaq; mas primo puellæ coniungitur, perfectum (ut ita dixerim) imperficitur, puella non perfecta perficitur, quare eum ſemper amare compellitur, quòd ab eo primo perficeretur, contrà uerò mas, quòd ab ea primo fœderatur. Qua ratione fit, ut amans dum fruitur amata, dicatur amans una ratione, & non amans alia ratione: amans quidem ſimpliciter, quippe cum non ceſſet deſiderium fruitionis ſimpliciter in totoq;: nõ amans uero pro illa fruitione, in qua gaudet, uel quæ præterijt: quemadmodum concupiſcentia huius cibi, non autem cibi ſimpliciter ac toto ceſſat.

Quæſtiones amatoriæ. CAP. LXXI.

SEd ab amantibus plura quæruntur: primum ſitne cupidinem ſimulare difficilius, an diſſimulare. deinde ſitne cupidinis uirtus maior, qua ſapientem ad inſipientiam, an quæ inſipientem ad ſapientiam uertit. inſuper contingátne quempiam præ nimio cupidine mori, an permanere. ad hæc ſit continentior mulier an uir. poſtea ſitne rerum uniuerſitati utilius cupidinem eſſe, an non eſſe. adhuc poſſitne quiſpiam aliquam puellam ſola nominis celebritate deperire, an aſpectus ſit neceſſarius. Rurſum cum honor concitet nos ad uirtutem, obſequium autem puellam amatam ad redamandum, quæ maior concitatio. deinceps, quæ amantior timida, as audax. Præterea quæ maior difficultas eſt, lucrari, an ſeruare amatæ gratiam. Poſtea quis facilius ſibi amari perſuadet, uir an mu-

lier. Insuper excepta perseuerantia, ex signis, quónam magis certificetur puella, quòd ametur. Deinde quænam affectio maior, odiúmne an cupido. Postremo fieríne possit, ut auarus amet, an non. Quæstiones huiusmodi quærunt iuniores, sed non soluunt: nos uero enitemur pro nostra facultate diluere huiusmodi quæsita, ordine, quo quæruntur. Quum igitur primo quæritur, sitne cupidinẽ simulare difficilius, an dissimulare: illud sumẽdũ in omni problemate, id uerum esse, cuius causa quæritur. nemo enim quærit cur homo uolat: id etiam non esse perspicuum, cuius causa petitur: nemo enim quærit utrum ignis sit calidus. Simulare ergo aliquem amorem, aut dissimulare circa uitia, est possibile, præcedentibus uero temporibus haudquaquam fieri potest. At circa principium simulare amorem facilius uidetur, non enim est uoluntatis cũ appetitu certamen. Est enim simulare amorem omni ex parte uoluntarium, dissimulare uero est cũ certamine. Qui enim amat, appetit uideri amatæ amans. Quatenus uero dissimulat, uult non uideri. Et cum quærunt, sitne uirtus maior, quæ sapientem uertit & reliqua. nemo dubitat distruere facilius esse. at cum sapientem ad insipientiam uertere distruere sit, insipientem uero ad sapientiam mutare, construere: iure illud difficilius, hoc facilius uidebitur. accedit quòd ex priuatione ad habitum reducere, ut Aristoteles inquit, non modo difficilius, sed nobis impossibile est. Et iterum quum quærunt, contingátne quempiam præ nimio cupidine mori: Galenus annuit: quoniam cupido adeo excrescere potest, ut fiat morbus: contingit autem per morbum unumquẽq; mori. Et rursum cum quærunt, quæ continentior. Nemo dubitat mulierem continentiorem esse natura, est enim frigidior,

gidior, atque minoris seminis, per menstruum etiam sanguinem satis incontinentia fugescit. Et item cum quærunt sitne rerum uniuersitati cupidinem utilius non esse: perspicuum profecto quòd utilius sit esse, alioquin animalium generatio è medio tolleretur. Quo fit, ut rerum uniuersitas tandem periret: mala autem, quæ propter cupidinem afferuntur, rerum uniuersitatem nō delent. Insuper cum quæritur, posſitne quispiam aliquā puellam amare sola nominis celebritate: Aristoteles annuit amare eum posse amore beneuolentiæ, non autem amore amicitiæ, quæ nunquā inter aliquos nascitur, nisi se mutuo cognoscant. At cum quæritur, quæ maior concitatio: arbitror eam concitationem maiorem esse magnitudine rationis, qua nos honor ad uirtutem mouet: eam uero qua obsequia amatam concitant ad amandum maiorem secundum sensum. Et cum quærunt, quæ amantior timida: nemo dubitat timidam cum amat, amare magis: quoniam præ timore uidetur carere magis fine amoris: ubi autem est maior carentia, ibi appetitus maior est. Rursum cum quærunt, quæ maior difficultas, dicas maiorem esse seruare: mulier enim mollis est atq; mutabilis natura, quare eam lucrari minus est, cum facilis sit & mollis: hac ratione mulier sibi facilius amari persuadet quàm uir. Et cum deinceps quæritur, quo puella magis: Aristoteles certissimū amoris signum esse tradit condolere, & congaudere. Quum enim quis amatæ cōdolet & congaudet in quibus ipsa dolet, aut gaudet, tunc nulli dubium est quòd amet. Iterū cum quæritur, an amor sit affectio maior, quàm odium: amorē dicerem, quoniā ad malum unusquisq; pronior est: odisse autē malum, amare bonum: aut fortasse, amor magnitudine naturali affectio

maior est, odium uero magnitudine uolũtatis. Quod postremo quærunt de auaro, nemo debet dubitare: nullus enim ab amore securus est: potest igitur amor auarum liberalem facere: quem postea amare non erit difficile.

A philautia non omnem amorem proficisci. CAP. LXXII.

MAgna quæstio est, utrum omnis amor à philautia, hoc est ab amore sui proficiscatur. Equicola noster illud Platonicum Peripateticumq; certissimũ esse sumit, natura esse homini datum, ut seipsum amet. Quod ex eo Aristoteles probauit, quia unusquisq; natura appetit semper manere, & in optimo statu uiuere. Ex hac hominis philautia euenit, ut nos eos natura amemus, qui nobis bona afferunt, aut honorabilia, aut utilia, aut delectabilia, quibus seruamur, atq; optimo in statu uiuimus: nec hos amamus modo, uerũ etiam tanquã deos colimus, qui nobis hæc attulerunt. Saturnum enim ut deum adorauit gentilitas: quoniã agrestem, atq; hominũ uitã inculta ad ciuilem reduxit. Iouem uero, nam in suo regno iustitiam cum sapientia exercuit. Neptunum etiã, quia in Creta primus nauigandi artem adinuenit. Sunt & alia sexcenta exempla. Hinc cõcludit, eos nos natura amare, qui aut utile aut honorabile, aut iucũdum nobis ferunt, aut ferre censemus: eos uero odio prosequi, à quibus hæc nõ speramus, aut horum contraria recipere opinamur. Ordinem ergo talem in amore statuit, ut homo primo seipsum propter se, à fide uero postea incipit amare Deum, nõ propter Deum, sed suiipsius gratia. postea legendo, meditando, orãdo, contemplando amat Deum, & propter Deũ amat seipsum: propter uero sui amorem, amat, quæcunque amat, nec aliquid

hominem

hominem amare credit, nisi propter se. Sed pax sit uerbis, hæc positio philosophiam non sapit. Primo quia si omnia quæ amamus propter nos amamus, omnia essent amabilia propter aliud, quare nec amicũ officiosum amaremus propter ipsum, nec uirtutem, nec uoluptatẽ, nec Deum ipsum. Qua ratione euenit, ut cunc̃la bona sint utilia, & nulla propter se amabilia. Deinde bonum est amabile, igitur per se bonũ est, per se amabile: sed Deus, & bona honesta, & bona uoluptifica sunt per se bona: igitur sunt amabilia propter se: postea si Deum amaremus propter nos, cum amare nos nõ omni ex parte sit laudabile, amare Deum omni ratione est laudabile: tunc laudabile ab illaudabili proficisceretur. Præterea appetitus refertur in bona eo ordine, quo sunt bona. Igitur primo, bona primo amabilia. Sed Deus est primum bonum: nos uero sumus posterius bona: non igitur primo & per se amamus nosipsos. Insuper, increpat eos qui seipsos maxime amãt, & ut turpe sui amatores appellant: à turpi nihil honesti procedere potest, nisi secũdum accidens: igitur philautia non est omnium amorum causa. Præterea prauus est, qui sui gratia cunc̃la agit, & tanto magis, quãto prauior est: incusatur enim ipsum, quia nihil nisi sibi agit. Probus autẽ ob honestatẽ, & tãto magis, gratiaq; amici, quãto præstabilior est, sua uero negligit. Ad hæc amamus uirtutẽ, etiã si nihil boni nobis eueniret: nec alia ratione, nisi quia est secũdũ se amabilis. Decptus est enim in uerbo amoris: nam licet amore cõcupiscẽtiæ, ut ita loquar, unusquisq; natura amet se, & ob sui amorẽ oĩa reliqua amare uideatur. Tamẽ amore beneuolẽtiæ, plurima amare potest, nõ propter suiipsius amorẽ, sed eorũ gratia, q̃ amat. Sed quomodo philautia laudetur, Aristot.

nono libro

nono libro Ethicorũ breuibus asserit, qui maxime amant se quo ad corpus, atq; quo ad corporis bona, quibus corpus seruatur, uituperabiles esse: qui uero maxime amant se quo ad animum, atq; animi bona, esse honorabiles: non enim corpus corporisq; bona amabilia sunt, nisi propter animum, bonaq; animi, ut eis uidelicet subseruiant.

Cupidinis comites qui. CAP. LXXIII.

POst hæc de cupidinis comitibus agendum, non enim est protritum. Sunt igitur amoris cupidinei comites affectus omnes, ut ira & mansuetudo, timor & fiducia, uerecundia, & inuerecundia, gratia & rusticitas, commiseratio & indignatio, inuidia & contrarium, æmulatio & contrarium, auiditas & abominatio, spes & desperatio, zelotypia & cõtrariũ, uoluptas & dolor, beneuolentia & maleuolentia. Verũ antequã de his per speciẽ dixerimus, oportet generatim de effectibus quædã trãsigere: non enim de eis autores eadem sentiũt. Quare dicamus in anima nostra tria esse, potentia uidelicet, affectus, & habitus. Est autem potentia habilitas quædam atq; aptitudo animæ connata: qua affici atq; commoueri natura poterimus, quáue cuncta, quæ agimus aut facimus, uel patimur, natura agere, aut pati ualemus: ut potentia uisiua, natura uidere, auditiua audire, & de cæteris simili ratione. Affectus uero, qui Græce pathos, à Cicerone perturbatio dicitur, à uulgo autem passio, à Stoicis atq; Platonicis describitur, quòd sit uehemens, atq; turbidus quidam motus longe magis quàm deceat, atq; commotio quædam naturalis animi impetu atq; impulsu eueniens: quæ in nostra potestate non est in principio, licet postea eam ratione moderare anima possit. Plutarchus uero describit, quòd sit praua atq;

ua atq; intemperans commotio, uires accipiens ab halluci nato iudicio. Aristoteles uero affectum definit, quòd motus quidam sit, qui ab ea potentia proficiscitur, qua possumus natura affici, atq; commoueri. aut dicamus quòd affectus sit uehemens atq; turbidus naturalis quidam motus magis quàm deceat appetitus sensitiui, naturali impetu atq; impulsu eueniens, qui in nostra potestate non est in principio, licet ipsum postea ratione moderari anima possit. Hæc enim definitio non differt ab ea Stoicorum, nisi quia in hac explicatur appetitus sensitiuus, cuius est affectus: habitus uero dispositio quædam appetitus sensitiui cum difficultate mobilis, proficiscens ex frequenti actuum appetitus sensitiui usu, aut consuetudine: qui si bene institutus fuerit, uirtus, sinautẽ male, uitium euadit. Quòd igitur potentia non sit uirtus, perspicuum est, quãdoquidem aptitudo naturalis est animæ, qua natura possumus applicare nosipsos ei, quod uolumus. Quòd uero nec affectus, ex eo demonstrauit Aristoteles, quoniam ex his, quæ affectu agimus, aut patimur, nec laus, nec uituperatio nos sequitur, nisi eatenus, quatenus usus, atq; cõsuetudo ea laudat, uel uituperat. Fortasse affectus melius dilucidiusq; describitur, quòd sit commotio appetitus sensitiui naturaliter moti ab apprehensione rei alicuius affectibilis, quæ sensibus occurrit: per hoc enim quod est commotio, differt affectus ab ipsa naturali potentia, quoniam potentia nõ cõmotio est, sed naturalis aptitudo, qua appetitus cõmoueri potest. Differt insuper ab habitu: nam habitus nõ commotio est, sed dispositio quædam cum difficultate mobilis generata in sensitiuo ipso appetitu ex commotionibus pluribus sæpeq; facilis. Quæ si præter rationẽ fiunt, generant uitiũ, sinautem

ſinautem regulantur ratione, uirtutem pariunt: per hoc uero, quod affectus ſit appetitus ſenſitiui naturaliter moti ab apprehenſione rei affectibilis, differt ab ea apprehenſione quæ ſua fortitudine alteri mutat corpus, qualis eſt pollens fortisq; imaginatio, qua quis polleter imaginatur ſanari, & iam ſanatur: hæc enim fortis, pollensq; imaginatio, quia motum facit in corpore, exiſtimatur affectio, ſiue affectus: nō autem eſt, tum quia hæc imaginatio eſt apprehenſio: affectus uero, nō apprehenſio, ſed commotio: tum etiam quoniam hæc imaginatio eſt uirtutis imaginariæ operatio, & affectus eſt motus appetitus ſenſitiui, qui naturali impulſu ſequitur aprehenſionem alicuius rei affectibilis: ſed quoniā cupido affectus eſt appetitus ſenſitiui naturaliter moti ab apprehenſione pulchri humani ad deſiderium illius fruendi: eo modo, quo ſuperius ſæpius dictū eſt, fit, ut cupido non ſubſtantia ſit, ſed accidens: non enim commotio ſenſitiui appetitus ſubſtantia eſt, ſed accidens, quod animæ ineſt propter appetitum motum. Cum enim, ut Plato inquit, per aſpectum puellæ imaginariæ uirtuti, quæ phantaſia dicitur, offertur, atque præſentatur id, quod pulchrum uidetur, mox anima excitatur non ſolum ad illius fruitionem, ſed ad generandum pulchrum in tali pulchro, uel ex tali pulchro. Nō tale fruēdi deſideriū comitatur ſemper appetitus coēundi, ſicuti Plato inquit, ut pulchrū in pulchro, uel à pulchro generetur. Qua ratione fit, ut cupido, qui talis appetitus eſt, non in parte memoratiua, ut quidam putant, nec in uirtute phantaſtica ſit, ſed in appetitu ſenſitiuo, cuius eſt affectus: ſimulacrum autem puellæ amatæ, quod Ariſtot. uocat phantaſma, eſt in memoria

moria aliquãdo. Verbi causa, in somno, & in parte phantastica in uigilia: nõ enim absurdum uideri debet simulacrũ amatæ esse in eo subiecto, in quo cupido non est: quod est eius pulchri desideriũ, quod præsentatur animæ per illiusmodi simulacrũ: nam ut Philosophi tradunt, simulacrum, & amor subiecto discrepant, quemadmodum appetitio & comprehensio: obiecto autẽ conueniũt: sunt enim eiusdem obiecti: simulacrum quidem cõprehensio, amor autem appetitio. Et quoniam huiusmodi affectus sequitur motus in spiritu uitali, qui uapor quidam sanguineus est, residens in corde, & à corde proficiscens, hac ratione, uocatæ sunt cordis passiones. Quod uero tales affectus sequatur motus in huiusmodi uitali spiritu, declarauit Auicenna medicus: quoniã occurrẽte re affectibili, primo apprehenditur à uirtute imaginaria, externis sensibus simulacrum ad ipsam deferentibus. Deinde appetitus commouetur naturali impulsu ex illa apprehẽsione: & hunc appetitus commotionẽ mox sequitur motus in spiritu uitali, aut ad interiora profuga, aut ad exteriora pro consequutione, aut utroq; modo partim profuga, partim pro consequutione: nec semper eadem ratione: nam spiritus uitalis ipse nonnunquam subito, nonnunquam paulatim mouetur: mouetur autẽ ab imaginaria ipsa uirtute uarijs modis ex eo: quia uirtus imaginaria uarijs simulacris admodum formatur: formata enim ab ipso sensibili simulacro amicitiæ, uitalem spiritum ad exteriora mouet, ut sensibile cõplectatur: formata autem ab ipso sensili inimicitiæ atq; timoris simulacro, spiritũ mouet ad interiora. Qua ratione fit, ut spiritus ad partes cõtrarias moueatur pro cõtrarijs uirtutis imaginariæ formatiõibus, aliquãdo diuersis tẽporibus,

aliquando

aliquando eodem tempore, & cum mouetur eodem tempore, nõnunquã mox, interdum non mox: & cum eodem tempore mox, uel non mox ad contrarias partes mouetur, non ſecundum eandem, ſed diuerſas partes neceſſe eſt moueri. Verbi cauſa, cũ quiſpiã ſimul iraſcitur atq; triſtatur: propter iram enim ad exteriora ſecundum unam ſui partẽ fertur: propter triſtitiam uero, ſecũdum alterã, ad cor: inſuper in uerecũdia, quatenus timor eſt quidam, altera uitalis ſpiritus pars ad interiora ipſa fertur: quo uero eſt ira quædam, altera ad exteriora motu cietur: mouetur autẽ uitalis ipſe ſpiritus. Qui, ut diximus, nihil aliud eſt, niſi ſanguineus quidam uapor, ab anima imaginaria modo quo inſtrumentum mouetur ab artifice: ut enim inſtrumentum ab artifice uarijs modis mouetur pro neceſsitate diuerſarum operationum, pro quibus perficiendis inſtitutum eſt inſtrumentum: ſic ſpiritus, qui à natura eſt inſtrumentum animæ imaginariæ, inſtitutum pro uarijs illius operationibus, pro neceſsitate operandi mouetur: nec oportet ſpiritum, quia uarijs modis mouetur, uarias aut formas, aut qualitates præter eam, quã natura habuit, accipere. Quemadmodum enim aliquod corpus ſurſum, aliquod deorſum fertur, aliquod circa medium, nec propter formã nouam, ſed ſolum propter formam quæ natura inſita eſt eis: ſic ſpiritus ſua naturali forma ad diuerſas poſitionis differentias moueri poteſt propter neceſsitatem operationum, ad quas perficiendas naturale inſtrumentum eſt imaginariæ animæ. Qua ratione fit, ut cum imaginaria anima appræhenſione rei terribilis mouetur ad timorem, ſpiritus nulla noua aut forma, aut qualitate facta, mouetur ad interiora, propter ſuam naturam, qua animæ ſubſeruit.

At cum

At cum anima mouetur ad audaciam, mox ſpiritus, ad exteriora, ſua naturali forma fertur: cum uero ſimul mouetur ad iram & ad triſtitiam, ſpiritus ſecundum unam ſui partem ſuapte natura ad interiora, ſecundum uero alteram ad exteriora motu cietur. Druſianus Monachus affectus omnes in tres ſimplices, quaſi omnium genera tria reduxit, ad gaudium uidelicet, triſtitiam & iram: uerecundia enim compoſitus affectus eſt ex timore, & ira: huius cauſa eſſe uidetur, quòd in omni affectu appetitus ipſe corpus moueat, aut ad imitationem, ſiue proſecutionem, ſiue amplexionem per gaudium, aut ad fugam, retractionem, euitationemq; per triſtitiam, aut ad ultionem repulſionemq; per iram: timor enim, diffidentia, odium, inuidia, atq; ſolicitudo ad triſtitiam reducuntur: uidetur namq; timor triſtitia quædã ceu diffidentia præconcepta triſtitia: odium uero, inuidia, & ſollicitudo triſticia quædam eſt. At ſpes, & amor, gaudium ſunt, ſpes quidem præconceptum gaudium, amor autem gaudium quoddã. Quo uero modo per affectus corpus alteretur, facile deducitur: in gaudio enim quia appetitus mouet cor ad habendum, atq; complectendum, ampliat ſpiritum, & calorem, paulatim à corde dilatando exterius uerſus pectoris partes: hinc fit, ut nonnunquam aliqui præ nimio gaudio moriantur, quales homines ſunt pauci caloris, modicorum ſpirituum, debiliſq; cordis. Magno enim gaudio mox facto, moto calido, ſpirituq; ad exteriora, corde ipſoq; uacuo remanente, ſubito pereunt: in triſtitia contrà appetitus ſanguinem atq; ſpiritum à circunferentia mouet ad centrum: quippe cum triſtitia, atque dolor ex perceptione rei dolorificæ proficiſcantur, quam na-

turali lege fugimus, hinc fit ut interdum præ nimio dolore, atq; tristitia homines è uita decedant : spiritibus enim ac calido ad ipsum cor reuocatis præ nimia constrictione suffocatur. At in ira appetitus mouet sanguinem, & spiritus ab exterioribus ad interiora, atq; ab interioribus ad exteriora. Ira enim ea ratione, qua est ulciscendi appetitio, mouet sanguinẽ, ac spiritũ ad exteriora. ea uero ratione, qua est ebullitio quædam sanguinis circa cor, mouet ad cor: qua ratione fit, ut per iram nemo moriatur : quippe cum in irato calor nec omnino augescat, nec penitus deleatur. cæteri autem affectus ad hoc reduci uidentur: cum enim timor sit futuri mali præconceptio, ideo appetitus mouens corpus ad fugam, ab externis ad cor sanguinem, & spiritum reuocat: præterea timor uidetur iræ contrarius, nam ut ira uiolentus motus est ad repellendum, ita timor ad fugiendum : qua ratione fit, ut homines in timore præ nimia reuocatione sanguinis, & spirituum ad cor, nonnunquàm moriantur, atque suffocentur, aucto cordis calido. Accedit etiam, ut capilli, & pili albescant, aut canescant, ceu in tristitia euenit, reuocato calido, & humido fere toto ad cor. Cupido autem & spes ueluti gaudium corpus mouent, & alterant, sanguine enim & spiritu exhalatis ad exteriora, alteratur corpus, quo quidem ad partes exteriores ad calidum, & humidum, quo uero ad interiores, ad frigidum, & siccum. hac ratione præ nimio cupidine, ac spe quispiam mori potest, ueluti in gaudio cor de à sanguine ac spiritibus omnino depauperato. Inuidia uero, & odium, & sollicitudo corpus alterant, ueluti tristitia, est enim inuidia, & odium & sollicitudo

tudo triſtitia de bonis alienis: quare in inuidia, odio & ſollicitudine exteriora frigeſcunt, atq; areſcunt, reuocato calido & humido ſanguine uidelicet; & ſpiritibus ad cor. interiora uero caleſcunt, & humeſcunt. In ipſa autem uerecundia primo corpus mouetur ad interiora propter timorem. eſt enim uerecundia timor quidam futuri præconcepti mali ex his, quæ quis aut dixit, aut fecit. deinde redeunte ratione atq; conſilio uigoratur anima, & expellit ſanguinem, & ſpiritus ad exteriora, propter defenſionem ad ſimilitudinem motus iræ. Ex his conuincitur in cupidine cor rigeſcere, exteriora autem exardeſcere, etſi à uulgaribus poëtis oppoſitum decantetur. aiunt enim cor ob cupidinem in flammas ignemq; conuerti. tamen hi non philoſophi ſunt, ideo multa mentiuntur, ut Ariſtot. philoſophorum ſapientiſſimus inquit, aut iuuari poſſunt, quòd in amore, qui cum ſumma ſpe coniungitur cor rigeſcat, exterioraq; exardeſcant: in cupidine autem, qui cum deſperatione aſſociatur, cum diſperatio quædam triſtitia ſit, interiora atq; cor caleſcant, exteriora autem rigeſcant. Themiſtius uir doctiſſimus, omnes affectus ad amorem reduxit: nec, ut mihi uidetur, iniuria: nam cum omnis affectus commotio appetitus ſit quædam, affectus nimirum omnis appetitio eſt quædam, & cũ appetitio omnis ſit amor, eſt enim amor aliud nihil niſi appetitio fruendæ affectibilis rei: fit ut omnis affectus amor ſit, concupiſcentiaq; quædam. quid enim eſt ira niſi ulciſcendi amor? manſuetudo autem, uacandi ab ultione. timor, etiam amor fugiendi à præconcepto futuro malo. audacia, audendi in præconceptum futurum malum. Quid eſt inſuper gaudium niſi amor complectendi

atque quiescendi in ea re, quæ delectat: tristitia autem amor retrahendi ab eo, quod dolorem infert: &, ut breuibus concludam, omnis affectus amor est quidam, non tamen cupido: est enim cupido amoris sensitiui species: nam cupido est amor fruendæ amatæ. Et quoniam omnis affectus amor est quidam, ideo non nulli amorem qui sub se omnes affectus complectitur, originale peccatum esse fatentur. quod an ita sit, Theologis disquirendum relinquo. Hactenus de cupidinis comitibus generatim.

De auiditate atq; abominatione. CAP. LXXIIII.

QVoniam cupido desiderium est fruendæ amatæ, hinc fit, ut cupidinem nunc auiditas, nunc abominatio comitetur: nam si desiderium amantis ferueat, auiditas amorẽ comitatur: si frigescat, comitatur abominatio. fieri autẽ potest, ut cupido modo ferueat, modo frigescat. feruet quidem primo ex parte corporis, cum in amantis corpore genitale semen accreuerit, ciborum atq; potuum affluentia, nec non deliciarum frequentia: deinde ex parte animæ, cum uidelicet anima amantis, in illecebris, lasciuisque meditationibus pinguescit: postremo ex parte amatæ: nam si aspectuum, colloquiorũ, cæterarumq; conuersationum frequentia interuenerit, feruet cupido, maximè si amatæ pulchritudo uestium decore, atq; ornamento maioribus gratiosior amanti apparuerit: frigescit autem causis è contrarijs, potissimum animo, corporeq; obscurioribus in ipsa puella factis: quod si anterus frigescat, eros etiam tandem tabescat, necesse est: hanc enim causam cæteris pollentiorẽ existimare debemus, quippe cũ eros, hoc est cupido (at superius diximus) oriri possit, crescere autẽ haudquaquam, nisi anterus secũ concrescat.

De spe,

De ſpe, atq; deſperatione. CAP. LXXV.

COmitatur etiam cupidinem modo ſpes, modo deſperatio. ſi enim amatam amando, opinionem habuerimus certam aſſequendi eam, cupidinem ſpes comitatur. Quæ nihil aliud eſt, niſi amor habendi amatam cum opinione conſequendi certa. ſi autem ab ipſius amatæ frequentia deſiſtimus, cũ opinione certa nunquã aſſequendi, cupidinem deſperatio comitabitur, quæ eſt amor deſiſtendi ab amata, que in deſiderio erat, propter opinionem certam nunquàm eam aſſequendi. oritur autem opinio aſſequendi, quæ ſpes eſt, primo ex nobis, qui labores omnes ſubire, ut amatam aſſequamur, decreuimus: nulla enim, ut inquit Fauſtus, puellæ durities eſt tam ſeuera, quam diturna obſequiorum multitudo non molleſcat, atq; leniat. deinde ex parte eorum quæ in amata ſpe ſectamus: nam ſi gratis oculis nos inſpexerit, libenter uoces audierit ac reddiderit, in præſentia aſpectu noſtro gauiſa, abſentia noſtri triſtiter conflicta fuerit nobis ob mala, ob bona uero exhilarata, ſpes amorem comitatur, accedentibus ijs, quæ alteri ſpem augent, quorum loca ſuperius diximus: ex contrarijs autem horum deſperatio cupidinem ſectatur.

De timore atq; fiducia CAP. LXXVI.

COmitatur inſuper cupidinem interdum timor, interdum confidentia. eſt enim timor perturbatio quædam, aut dolor ex imaginatione futuri mali corruptionem aut dolorem de prope inferentis proficiſcens. Dico, ex imaginatione futuri corruptionẽ inferentis, quo ad corpus. dico, aut dolorem inferentis, quo ad animum: timemus enim quæ corpus corrũpere, aut lædere, ſed quæ do-

lorem menti inferre possunt. nec cuncta mala timemus, non enim Critiam timemus si erit iniustus, quando nihil præter iniustitiam habet, sed quæcunq; cum adsunt, uel magnos dolores menti, uel corruptiones corpori adducunt. nec timemus Critiam, cum sero cuncta egerit, non enim ea timemus, quæ procul absunt, sed quæ propè cernuntur, ut iam impendeant: remota namq; nimium non timemus: omnes enim sciunt se morituros: uerum quia non prope, iccirco non timent. Quæ uero timenda, exponamus. Sunt itaq; timenda ipsa terribilia & eorum signa. Terribilia sunt quæcunq; ingentes uires corrumpendi habere uidentur de prope, aut ita nocendi de prope, ut nocumentum ad ingentem tendat dolorem. signa uero horum, quæ ab Aristo. pericula dicuntur, timenda prope: namq; ostendunt esse quod timetur. est enim periculum timendæ rei appropinquatio: sunt autem pericula, ut exemplis utar, inimicitia, ira, potentia, iniustitia, quæ uires habet, prudentia contumelijs affecta quæ uires habet: ex his patet, quæ sint timenda. nam inimici cum uires habuerint, potentes, irati, iniusti uires habentes, sapientes, qui uires habent, contumelijs affecti: cum enim non lateat uelle, ac posse ipsos, prope iam ad faciendum sunt. Qui uero per speciem timendi sint, ex his facile deduci potest: ideo non oportet ulterius procedere. Cum igitur amans mala imaginatur futura ex his quæ possunt de prope sibi, aut amatæ corruptionem, uel dolorem inferre, si ea aggreditur amorem non derelinquendo, cupidinem fiducia comitatur: si propter illa ab amore desistit, cupidinem timor sectatur. amans autem ideo futura mala aggreditur, & ab amore non desistit, aut quia pericula

longe

longe absunt, aut quia cum prope affuerint, sunt secunda, aut quia præsidijs multis aut magnis confidit obsistere. ab amore uero desistit, propter mala, cum terribilia fuerint è conuerso se habentia.

De ira & mansuetudine. CAP. LXXVII.

PRæterea cupidinem comitatur nonnunquàm ira, nõ nunquàm mansuetudo, quæ est iræ contrarium. sed quid ira sit, breuibus dicamus. postea, quibus causis irascamur. Est itaq; ira dolorificus appetitus apparentis ultionis propter apparentem contemptum immerito factum aut in se, aut in suos. Dico, appetitus dolorificus, quia nisi esset dolorificus, ultiuus non esset. Dico, apparentis ultionis, quia sicut contemptus fuit apparens, ita ultio fieri debet in aperto. Dico, immerito factũ in se, uel in suos, quia causa iræ hæc est, uidelicet contemptus factus in se, uel in suos: est enim contemptus actus opinionis in id, quod nihili, aut parui certè æstimatur. huius tres sunt species, despectus, detractio, & contumelia. Ideo tribus de causis generatim omnes irascimur, aut despectu, aut detractione, aut contumelia. Quòd autem despectus sit contemptus, patet, quia despiciens contemnit: est autem despicere nihil dicere de eo, quem uis contemnere: hoc pacto Plato despexit Democritum, cum eius in suis libris nihil meminerit, quoniam eum nihili dignum æstimauit. Insuper qui detrahit, contemnere uidetur, detrahere enim proprie remouere est, uel auferre: hinc per translationẽ cũ fama, gloria, honor, opinio diminuitur, detrahitur homini, quatenus impeditur uoluntas eius ne fama, honor, gloria, opinio accedat, quos desiderat sibi esse accedẽdos: et quia hanc diminutionẽ atq; impedi

mentū facit detrahens, non quærendo sibi aliquid, sed, ut impedimento sit illi, à quo detrahit, ideo contemnit. præterea qui contumeliatur, similiter contemnit: contumelia enim est damno atq; dolore in his afficere, in quibus turpe patienti est, nō, ut aliud quoddā contumelianti fiat quàm quod factum est, sed ut uoluptate afficiatur, qui contumeliam infert. hinc dici solet, contumeliam factis, iniuriam uerbis fieri. Quòd autem non, ut aliud ipsi contumelianti accedat, nisi uoluptas, perspicuum, quia qui par pari reddunt, uel maius minori, non contumeliantur, sed ulciscuntur. Causa autē uoluptatis eorum qui cōtumeliantur est, quòd arbitrentur contumeliando in nobilitate excellere propter hanc causam. Iuuenes potentes, diuites, & nobiles contumeliatores sunt: longe namq; putant contumeliando excedere. Cum igitur propter contemptum, hoc est despectum, aut distractionem, aut contumeliam irascuntur amantes, cupidinem comitatur ira. At cum amantes destituuntur ab ira, aut quia non contumeliatores, nec subsannatores, nec derisores, nec conuitiatores, insuper quia non detractores, ad hæc quia non despectores inuicem sunt, cupidinem mansuetudo sectatur.

De Zelotypia, & contrario. CAP. LXXVIII.

INsuper cupidinem comitatur quasi semper zelotypia contrarium uero zelotypiæ ferme nunquàm. Sed quid sit zelotypia, exponamus: non enim est exploratum. Plato definiens zelotypum ait eum esse, qui inuidendo amatoria suspitione capitur. Sed alij dilucidius dixerunt, Zelotypiam esse amantis suspitionem circa amatam, ne alterius amore occupetur. Insuper adhuc certius dici potest, Zelotypiā esse timorosam animi amantis

suspitionem

ſuſpitionem, ne amata adſit alteri, quam cũ nemine uult habere cõmunem. Dicitur enim ζηλότυπος græce, æmulator formæ, nam ζῆλος æmulatio eſt, τύπος autẽ forma. Chryſippus zelotypiam perturbationem, Cicero uero obiectationem uno uerbo interpretatur. Plutarchus, zelotypiam, quæ de bonis, atq; honeſtis eſt, eſſe laudabilem affirmat. hinc qui zelotypus uxoris eſt, honoris cauſa ſummopere commendatur. In amatorijs uero, ut Ouidius inquit, cum amor ſine zelotypia fuerit, otioſus, atq; frigidus eſt. nam ubi hæc non eſt, ibi amor haudquaquam dominatur. Cauſa autem eſt, quoniam cum amans amatam cum nemine communem habere uult, iure amorem fere omnem zelotypia comitatur: & propterea in quibus non eſt zelotypia, non eſt amor. Ariſtot. aſſerit amicitiam paucorum, amorem uero unius eſſe. Quare eo amans zelotypus eſt, quia ſi amata riualem aliquem admitteret, cum amor non poſſit eſſe niſi unius, amicitia autem paucorum, amantem uel non amabit, uel lente. Quòd zelotypia ſit amantibus naturalis, teſtantur animalia, quæ quouis paruo amore affecta, zelotypia affliguntur. Quamuis ex animalibus hircus duntaxat zelotypiam non patiatur: nec eſt ab ratione, quoniam omne animal natura in fœmina ſui generis, ut ſuperius diximus, appetit generare ſibi ſimile: fœmina autem cum alterius fuerit, primus ſibi ſimile in illa non generabit. Quare quàm naturale eſt generare ſimile ſibi, tam naturale eſt eſſe zelotypum. Teſtantur & idem gentes: nam, quæ maxime amant, maxime zelotypia uexantur, ut Orientales, & qui meridiem incolunt. Septentrionales uero, quia non ſunt multum amatorij, non multa zelotypia affliguntur.

Quoniam itaque zelotypia amantes ardenter lacerantur, fabulantur poëtæ Io in uaccam translatam esse, Calistum in ursam, Procrin zelotypia è uita decessisse, Apollinē zelotypia ductum Coronidem interemisse: nunquid zelotypia ab amantibus sit ferenda, non parua quæstio est. Ouidius tradit Iouem se riualem ferre non posse, quare nec zelotypia ferenda est. Plutarchus de præcepto affirmat zelotypiam esse ferendam, atque dissimulandam: sic enim amatæ duriciem uinci posse credit. Ego uero dicerem ferendam esse zelotypiam atq; dissimulandam, quando cupidinem comitatur spes: quando uero desperatio, deponendum esse amorem cum tota zelotypia: & quoniam raro, aut numquam cupidinem comitatur zelotypiæ contrarium, ideo de his hactenus.

De uoluptate & dolore. CAP. LXXIX.

ETsi apud Latiniores, dulcedo, lætitia, gaudium, hilaritas, exultatio, gratulatio, iucunditas, serenitas, tranquillitas, quies, delectatio, non idem significent, tamen hæc omnia uno uerbo uidelicet uoluptate dicamus, aut saltem sub uoluptate tanquam sub genere contineantur de licentia. Voluptatem uero hic, non pro fine uolumus esse intelligendam, sic enim non affectus est, sed perfectio operationis, ut superius diximus, sed pro affectu, & sic est amor complectendi, atque quiescendi in ea re, quæ delectat, siue attineat ad animum, siue ad corpus. Dolor uero, si accipitur pro fine, erit imperfectio operationis: si pro affectu, ut nunc loquimur, est amor retrahendi à re dolorifica: & sic sub dolore continentur tristitia, mœstitia, afflictio, contristatio, turbatio, mœror, angustia, cruciatus, uexatio, anxietas,

tas: hæc enim omnia communi nomine dolor dici poſſunt. In uoluptate, & omnibus his, quæ ſub ea continentur, cor mouetur uerſus partes pectoris, non quidem ſubito, ſed paulatim. in ira enim mouetur ſubito: nam apprehenſione rei uoluptificæ ſpiritus uitalis diffunditur, expanditurq; paulatim uerſus pectus, quippe cum uoluptas appetitus ſit complectendi, atque quieſcendi in ea. in dolore uero, atque omnibus, quæ ſub dolore continentur, retrahitur paulatim uerſus cor: nam dolor eſt amor retrahendi à re dolorifica. Voluptatem comitantur riſus, & ſubriſus: nullus enim riſus, uel ſubriſus contingere poteſt in amantibus, niſi præceſſerit gaudium, atque uoluptas. cauſa perſpicua eſt, quia niſi prius amans aut amata prægnouerit res ſub ratione delectabilium, non poterit ridere: ſigno autem nobis ſunt pueri, qui in lucem editi non rident, niſi poſt X L. dies: eo enim tempore quædam delectabilia apprehendere incipiunt ut lumen, colores, picturas, quæ imaginaria uirtus cognoſcere incipit ſub ratione rei delectabili, ſaltē confuſa, itemq; uoces, ſonos, quæ eadem ratione mouent eum ad riſum. Quòd ſi dicatur uiſos eſſe pueros mox ortos ridere, Plato credidit eos uidere dei patris faciem, Plotinus, angelos: Quod an ſit, philoſophis derelinquamus: hoc unum ſcio talem oris motum in pueris factum, non eſſe riſum, ſed aperturam quandam oris, & oculorum, quæ riſui perſimilis eſt. Eſt & ſubriſus, & obriſus, qui ſunt parui, atque latentes riſus. Arriſus uero, eſt applauſus quidam, atque oſtenſio lætitiæ, per riſum facta. Corriſus uero, riſus eſt, qui cum alijs ridentibus fit. Ridicula uero, ſunt ſermones, aut actiones, quæ inducentes lætitiam,

prouoc

prouocant ad risum: ridiculi uero, qui hæc agunt, ut scurræ, histriones, laruæ, lemures, & cæteri, qui uerbis aut actionibus inducunt ad risum: hi enim ad risum ducere non possent, nisi in appetitu uoluptatem, & gaudium, & lætitiam, prægenerarent. huius rei signo sunt nobis cespitationes hominum, casus, uestium peruersiones: ex his enim in nobis gaudium in appetitu emergit, atque lætitia, ex eo uidelicet quia existimamus nos esse prudentiores, atque sapientiores eis, quatenus ea non facimus. in casibus uero pernicioſis, non ridemus quia compatimur: & quia stulti nesciunt moderari gaudia, ideo sæpissime cachinnantur: prudentes uero cum moderatores sint omnium, subrident, atque modeste rident. Dolorem comitantur lacrymæ, siue fletus, & suspiria, & eleuationes uocum, & inuocationes deorum atque terribilia insomnia, insomnietatesq;, & graues aliquando somni lacrymæ quædam, nam cum in dolore atque tristitia caloris, atque spirituum fuga ad cor constringantur omnia membra humida, comprimanturq;, ut cerebrum & oculi, lacrymæ nimirum scaturiunt: in lætitia uero & risu nonnunquam uiarum meatuumq; amplificatione, eorum membrorum, in quibus humiditas continetur. fletus insuper in doloribus accidunt qui sine lacrymis sunt: nam, ut risus fit mox facta in corde lætitia atq; gaudio, quia proprium hominum est ridere, sic dolore atq; tristicia factis in corde, mox fit fletus, quum flere hominibus proprium sit, quemadmodum ridere. Eleuant etiam amãtes in dolore atq; mœsticia uoces. Quoniam commune est, & naturale omnibus animalibus cum dolent, emittere uoces. Ad hæc in doloribus

suspir

ſuſpirant amantes: eſt enim ſuſpiriũ omiſſi aëris à mente defixa in multitudine reſtauratio: cum enim mens in aliquo ui cogitationis imaginationisq; defigitur, uerbi cauſa, in amata, ſic ab omnibus fere operationibus ſemota, non nihil etiam de aëris attractione dimittit: quo cum accidat nocumentum ſupercalefactionis in corde, id una ſpiratione quàm maxima quaſi mox reuocatam recompenſat: hinc amantes in doloribus atq; triſtitijs ſuſpirant, mente uidelicet non in ſuo, ſed in alieno corpore uiuente atq; operante. Præterea amantes quoq; in doloribus deos inuocant. Inducta enim in corde mœſtitia, atque dolore, mox ideo deos inuocant, quoniam non minus propria eſt hominibus religio, atq; deorum cultus, quàm riſus, & fletus. Quare, ut riſus inducta lætitia, & fletus inducta triſtitia hominibus contingunt, ſic inuocatio numinum pulſante mœrore. Accedit quòd homines, in lacrymis, fletibus, in eleuatis uocibus, in ſuſpirijs, in inuocationibus numinum, non nihil uoluptatis ſentiunt, potiſſimum qui ardẽter amãt, ut Ariſtoteles inquit. hæc enim fiunt quòd nõ adſit amata: uoluptas autem quòd recordentur eius, ac illã quodam modo uideant, & quæ agebat, & quæ dicebat, et qualis erat. Vnde illud Homeri, Sic fatus flendi cunctis immiſit amorẽ. Mœſtitiã etiã comitantur inſomnia terribilia. præ nimia enim meditationis magnitudine, amantes melancholici euadũt, ſed melancholici, ut Ariſtoteles inquit, cũ inſomniant, terribilia uident. inſomnietates etiam & graues ſomni, quia ſi mœſtitia ſit propter rem futurã, ſpiritus propter ſpem, ad exteriora, propter dolorem autem ad interiora mouetur, et hoc pacto comitatur inſomnietas, ſi propter rem præteritam, cum nulla ſit ſpes

ſpiritus

ſpiritus uniuerſus ſolũ ad interiora fertur, & ſic cerebro frigefacto ſit ſomnus grauis. Quare cum amans amata puella aliqua ex parte fruitus fuerit, aut per aſpectum, aut per alloquium, aut per tactũ, aut per cæteros ſenſus, amorem comitatur uoluptas, & ea omnia, quæ uoluptatem ſectantur: cum autem amans non fruitur amata, quoniam abeſt, aut non eo modo, quo ſperabat, cupidinem dolor ſectatur, atq; ea omnia, quæ dolorem ſequuntur.

De Verecundia, & Inuerecundia. CAP. LXXX.

COmitatur etiam cupidinem uerecundia aliquando, & inuerecundia interdum. eſt autem uerecundia timoris æmula, atque uernacula: uterq; enim dolor, & perturbatio ex imaginatione mali proficiſcitur. uerum timor eſt ex imaginatione futuri mali, quod corpori obeſt: uerecundia autem ex imaginatione præteriti, uel futuri, uel præſentis mali, quod famæ, nomini, honori obeſt. Quam honoris corruptionem uiri glorioſi longe magis exiſtimauerũt, quàm quæ corporis eſt. Quare recte dictum eſt, quòd uerecundia dolor quidam ſit, ac perturbatio ex imaginatione malorũ præſentium aut præteritorum, aut futurorum, quæ infamiam inferãt, & honorẽ, ac gloriã corrumpant. inuerecũdia uero contemptus quidam eorum atq; impaſſibilitas. Quòd ſi id uerecundia eſt, neceſſe eſt ijs malis erubeſcere, quæ uel ſibi ipſis uel ijs, qui ſibi curæ ſunt, dedecori, atq; infamiæ eſſe uidentur. Sunt autem hæc mala, quæcunq; à uitio, ab inexperientia, à facultate, atq; ui proficiſcũtur. A uitio quidem, ut ſcutum auertere, arma amittere, aut fugere, propter metũ. Quod uitium eſt fortitudini contrariũ. Inſuper negare depoſitũ, & debitum, propter illiberalitatẽ, aut propter iniuſtitiã.

Ad

Ad hæc commiſcere ſe quibus non oportet, ut cum matre, aut ubi non oportet, aut quando non oportet, propter libidinem, quæ uitium eſt temperantiæ atque continentiæ contrarium: præterea lucra aſſequi ex prauis, ueluti expoliare pauperes: aut à turpibus, ut expoliare mortuos: aut ab impotentibus, ut expoliare infirmos. hæc enim omnia ab illiberalitate proficiſcuntur. deinde non opitulari pecunia, cum poſſis, aut minus quàm poſſis: aut iuuari ab his, quibus minus facultas, aut pecunia eſt: & mutuo accipere, cũ petere uidearis, ut tyrannus facit, qui petere uidetur, & mutuo accipit: & petere pecuniã, cum exigere uidearis: ac exigere, cum petere: hæc enim omnia illiberalitatis indicia ſunt. poſt hæc, laudare, ut petant: nam præſentem laudare adulationis eſt. Adulatio etiam eſt, ſi bona nimis laudes, praua autem delinias. eſt adulatio, ſi uehementius dolenti condoleas: cæteraq; huiuſmodi: cũcta enim adulationis ſunt ſigna. Eſt adhuc dedecori ac infamiæ, ſi labores non feras, quos aut ſeniores, aut qui in delitijs uiuũt, aut qui maiores ſunt in poteſtate, aut omnino imbecilliores: omnia enim hæc mollitiei ſigna ſunt. Aſcribitur dedecori uerecũdiæq; ab alio beneficia ſuſcipere, & quidẽ ſæpius: quæ uero tamẽ beneſeceris, exprobrare. hæc enim puſillanimitatis, deiectionisq; ſigna uidentur. Rurſum uerecũdiæ datur, de ſe multa dicere, ac polliceri, & aliena ſua eſſe prædicare. Arrogantis enim ſunt eadẽ ratione. In cæteris morum uitijs opera & ſigna cõparia: omnia enim turpia ſunt, & uerecũdiæ effectiua, hæc à uitio: ab inexperientia autẽ, nã uerecundiæ tribuunt eorum bonorum eſſe expertẽ, de quibus omnes, aut pares omnes, aut ſaltem plurimi participant. pares autem uo-

cõ qui

co qui eiusdem gentis, ciuitatis, ætatis, propinquitatis, & generatim eos, qui in æqualitate constituti sunt: uerecundum enim, si eorum non particeps sis, quorum pares participes sunt, ueluti disciplinæ, cæterorumq; id genus. Quæ omnia maiorem inferunt ignominiam, si eorum bonorum particeps cum non sis, causa fueris malorum atq; turpium aut præteritorum, aut præsentium, aut futurorũ. Aui autem, nam patiẽtes, aut passi, aut passuri quæcunq; in ignominiam atq; opprobrium ducunt, uerecundantur, potissimum si ipsis non idonea fuerint: sunt autem hæc quæ ad ministeria pertinent, aut corporis, aut operũ, quæ uituperationem pariunt, ut lenocinium, macellum, carnificium, & id genus. Præterea inter hæc sunt, quæ ad libidinem pertinent: nã in his uolentes, & inuiti ignominiã patimur. ignominiæ enim timiditatisq; est, hæc ferre, ac perpeti, & non defendere. Itaq; cum amans aut amata in his, quæ uerecũdiæ sunt opera, aut signa, deliquerit, & uerecundatur, nec propterea ab amore desistit, amorem comitatur uerecundia. uerbi causa, si amans cogitur propter riualem scutum dimittere, & fugere, & amata uerecundatur, non tamen propter hoc minus eum deperit, amorem amatæ comitatur uerecundia. præterea si amata amãti negauerit depositũ, ut riuali ipsum tradat, amansq; ob id uerecundatur, nec propterea amãs eam minus adamauerit, amorẽ amantis comitatur uerecundia. Insuper si amata soror aut filia amanti fuerit, uerecundanturq; ambo, neq; propterea tollitur inter eos amor, amorem comitatur uerecũdia. deinde si amans amatã aliũ amare concedat propter lucrũ, et ob id uerecundatur, et nõ propterea cessat amor, talem amorẽ pudor consectatur, & de alijs

simili

similiratione. At cum amantes ea, quæ uerecundiæ sunt, non pudet, sed contemnunt, nec dolent propter illa, sed sunt ueluti impassibiles ab eis, amantq; se mutuo non minus, amorem consequitur impudentia, atq; inuerecundia. Verbi causa, si amans pauperes aut mortuos, aut impotentes, aut infirmos exspoliauerit, amataq; non minus eum adamans, hæc contempserit, & nec ab his passibilis est, amorem amatæ comitatur inuerecundia: deinde si amans nimis amatam laudauerit, uitiaq; amatæ deliniuerit, uehementius condoluerit ei, amata uero ob hæc non uerecundatur, sed illa cõtemnit, & ab eis impassibilis, nec minus amat, amatæ amorem consectatur inuerecundia. Insuper si amata beneficia amanti contulerit, & quidem sæpius, amans uero, cum amatæ benefecerit, exprobrat, & amata ab his impassibilis est, & ea contemnit, nec uerecundatur, amatæ amorem comitatur impudentia. Præterea si amans amatæ de se multa dicit, atq; pollicetur multa, quæ nec uera sunt, nec factibilia, amans uero impassibilis manens, contemnit hæc, nec amãtem propterea amare pudet, amorem amatæ pudentia consectatur. Ad hæc si amãs lenociniũ, aut macellum exercuerit, amansq; impassibilis manens, hæcq; contemnens, amare non uerecundatur, amorem huiusmodi pudor sequitur. Itemq; si amans uerbera, si adulterium, uel stuprum erga sorores, aut consanguineas passus fuerit, amata uero ab his impassibilis, non ueretur amare amantem, quasi hæc & maiora contemnens, amorem eius ignominia comitatur. & de cæteris id genus similiter.

De gratia, & Cõtrario. CAP. LXXXI.

Comitatur insuper cupidinem gratia, interdum autem

tem contrarium, quod nomen non habet, nisi illiberalitatem uelles appellare. Verum gratia multifariam accipitur, interdum pro pulchritudine, quæ secundum Platonem indiuisibilis est in corpore pulchro: nonnunquam pro amore, ac pace, ut apud Terentiũ, Nec alio pacto componi potest inter eas gratia. & hoc pacto, qui committit contra principem, dicitur in gratiam redire, post remissionem culpæ aliquando pro re, uel beneficio gratis concesso roganti, & alijs modis apud Latiniores. In proposito tamen gratia pro affectu, quo quis naturali quodam impulsu arrogante commouetur ad concedendum aliquam rem, uel beneficium gratis. Gratia enim, ut Aristoteles inquit, affectus est, per quem dicimur roganti gratis aliquid facere: non pro re alia, nec, ut nobis quicquam faciamus, dicitur aliquid: quoniam aliquando, quod gratis conceditur roganti, est beneficium: quandoq; est subuentio in uita, & bonis corporis: quandoq; id genus dicitur gratis: non enim propter aliud facienda est, esset enim mercatura, aut id genus. debemus enim eam facere, non ut quicquam nobis, sed ut faciamus ei, cui facimus. Est autem gratia, & magna, & parua: magna quidem, quòd uel rogantes egeant nimium, aut quòd quæ rogant, magna, & difficilia sint: magna autem, & difficilia, aut simpliciter, aut pro tempore, aut pro loco, aut pro modo: ut puta quia qui dat gratiam, solus, & non cum alijs aut primus, aut quia licet alij dent, ipse maxime dat, aut quia cito dat. Nam, ut Ausonius inquit, gratia, quæ tarda est, ingrata est, quæ fieri properat gatia grata magis. Parua autem gratia, è contrarijs rationibus colligetur. Rogationes uero appetitiões sunt eius, qui rogat, & earum rerum maxime, quæ sunt cum dolore eius rei, quæ

petitur.

petitur, si non fit, aut si nõ eo modo fit, quo appetitur: tales rogationes cipiditates sunt, in amoribus, in afflictionibus, in periculis: periclitans enim cupit: similiter & qui amat, & qui dolet: quid uero sit contrarium gratiæ, ex his perspicuum: est enim affectus, quo rogãti abnegamus id quod appetit. Tale autem contrarium, de licentia, dicatur abnegatio aut illiberalitas: quare cum amans rogat amatam, ut concedat aut uerba, aut aspectum, aut basia, & amata cõcedit, amorem gratia comitatur. Insuper si amans rogat, amata aures præstat, amor non est absq; gratia: idem etiam si amans rogat, ut secum aut cantet, aut equitet, aut incedat, aut choream faciat, aut amatoria munuscula excipiat, & amata concedit, amorem gratia consectatur: contrà uero si hæc rogantur, amata autem nullum permittat, si amans non minus amauerit, gratiæ contrarium amorem comitabitur: uerum cum amor ex ero, & antero constet, gratia mutua comitatur utroq;.

De cõmiseratione, & indignatione. CAP. LXXXII.

DE commiseratione, & indignatione superius diximus, nunc breuibus dicam, cõdolere alicui propter aduersa & mala, quæ immerito illi accidunt, commiserari est: indignari autem est rebus secundis indigne collatis dolere. Hæc uidentur contraria, sed non sunt: nam bonorum morum sunt ambo: morati enim hominis est cõdolere, quũ quis indigne uexatur: similiter officiosi est indignari illos, quibus præter dignitatem res secundæ conferuntur: signo autem sunt nobis Dij, quibus indignatio attribuitur. Qua ratione fit, ut indignatio sit misericordiæ, & contraria, & æmula quidem: quippe cum utraq; sit dolor: dolet enim qui miseratur, cum imaginetur id sibi accidere posse, quod

alijs indigne accidere putat: qui uero indignatur, dolet etiam: si enim cum uidet iustum exaltatum gaudet, quoniã ex hoc sperat se etiam exaltandum: ergo cum uidet iniustum exaltatum dolet, quoniam imaginatur non iustos, sed iniustos exaltari, & sic imaginatur se non exaltandum: contrà autem, quia qui miseratur, dolet propter res aduersas, quas indigne illatas esse imaginatur: qui autem indignatur, dolet propter res secundas, quas indigne conferri putat. At res aduersæ, & res secundæ contrariæ sunt. Quare cum amans, patitur morbum, uerbera, cibi inopiam, uulnera, imbecillitatem, orbitatem, amicorum carentiã, afflictiones, dolores, tum in se, tum in suis, aut propter amatam, aut propter aliam causam, & amata condolet atque contristatur, amorem commiseratio comitatur. Præterea si amata subuenit amantis lacrymis, suspirijs, uocibus, cæterisq; id genus, amori commiseratio comes est: contrà autem, si amata amanti propter hæc non condolet, nec contristatur, amorem consequitur crudelitas: præterea si amata simul cum amante coindignatur eis, & in quibus amans indignatur, æmulatur amantem, & amori associatur indignatio: contrà uero si fiat, amorem contrarium indignationi sectatur: & cum amor ex ero, & antero conficitur, utroſq; commiseratio & indignatio sequitur.

De inuidia & contrario. CAP. LXXXIII.

INsuper amorem nonnunquam inuidia, aliquando contrarium comitatur: est autem inuidia dolor quidam ex eo proficiscens quòd pares, ac similes boni quicquam adepti uideantur, non autem, ut ipsi inuidenti quicquam accedat, sed propter eos, quibus inuidet: inuidus enim dolet, quia alteri bona insunt, uellet enim ut illis malum accedat,

cedat, unde Horatius, Inuidus alterius macrescit rebus opimis. Voco similes, qui genere, propinquitate, ætate, habitu, gloria & diuitijs, cæterisq; id genus: ea uero quorum est inuidia, sunt quorum honorem quærunt, & quorum gloriam concupiscunt, & illa quæ sunt feliciter acta. Quinimmo fere de omnibus inuidia est, præsertim si aut appetunt ipsi aut putant se habere oportere, aut si earum rerum possessione ipsi parum superent, uel parum deficiat: in omnibus enim his inuidia est. quid uero sit inuidiæ contrarium, & quorum, perspicuum: est enim circa eadem, cum contraria uersentur circa eadem. Quare si amata inuidet amanti, aut in honore quo emicat, aut in gloria qua excedit, aut in actionibus feliciter actis, aut in bonis alijs: amans autem propter hæc non minus amatam deperit, cum amore amantis associatur inuidia amatæ: & eodem modo de amata dici potest, ex eisdem locis potest amorem consectari inuidiæ contrarium: amor autem ex ero & antero compositus cum inuidia associari non potest, sed utroq; inuidiæ contrarium comitabitur, erum uidelicet, & anterum.

De æmulatione, & contrario. CAP. LXXXIIII.

COmitatur præterea cupidinem æmulatio aliquando, nonnunquam uero contrarium: est autem æmulatio, ut superius diximus, dolor quidam, quoniam bona & honorabilia, quæ ipse quoq; assequi posset, natura similibus adesse uidentur: est quidem dolor, non quoniam hæc bona alijs insunt, sed quoniam non ipsi quoque insunt. æmulabilia uero sunt bona honorabilia, bona utilia, quibus bene facere possumus, quorum domina est fortuna, & bona natura, quibus homines fruuntur. Quare cum

qui amat, benefecerit amatæ, aut in bonis honorabilibus, aut in bonis utilibus, aut in bonis naturæ: amata uero contrà, ne superetur ab amante in his, uel similibus, amanti benefacit, talem amorem comitabitur æmulatio. At si amata amanti benefacienti è conuerso non benefecerit, amor talis cum æmulatione non associabitur, fortasse quia simplex, non ex ero, & antero compositus est.

De beneuolentia & maleuolẽtia. CAP. LXXXV.

COmitatur quandoque amorem beneuolentia, & quandoq; maleuolentia: est autem beneuolentia, animi desiderium, quo quis bona alteri uult, atq; benefacere appetit. bona dico aut utilia, aut uoluptifica, aut honesta, quæ uidentur hominibus bona, & quæ omnes appetunt. At amor atq; cupido esse potest sine appetitu beneuolendi, atq; benefaciendi. Catullus enim postquam Lesbia nupta esset, eam plus amabat: maiore enim desiderio fruendi afficiebatur: erat enim cũ maiore carentia: & ubi simul est carentia maior, & spes simul fruendi maior, maior est amor: minus autem ei bene uolebat, quia non tot bona ei adesse desiderabat, quot ante nuptias: unde inquit, Quis potis est inquis, quòd amantem iniuria talis, Cogit amare magis, sed bene uelle minus? Præterea beneuolentia actus est uoluntatis beneuolentis, cupido autem appetitus sensitiui affectus: demum amor crescit in dies: amor enim etsi subito generetur, tamen crescit paulatim in dies beneuolentia: cum sit simplex uoluntatis actus, fit subito: declarant hoc certantes, ad quorum alterum statim spectantes fiunt beneuoli, cupientes, ut uincat alter: maleuolentia uero animi desiderium, quo quis mala alicui uult, aut eorum quæ pertinent ad corpus, aut eorum, quæ ad animum, aut eorum

quæ

quæ ad fortunam. Quare si amans uelit amatæ hæc mala, ut ne dormiat, ne uigilet, ne ambulet, ne sedeat, ne comedat, ne bibat, ne quicquam denique aut agat, aut patiatur, nisi memoria, corde, animo ipsum uideat, audiat, atq; secum uiuat: hoc est, nisi amatæ anima corpore derelicto, uiuat in amantis corpore, aut nisi transformetur in amantem, amans ardenter amatam deperit: sed amatæ mala dolorifica uult. Ad hæc si amans uelit amatam usqueadeo necessitatibus compelli, ut cogatur egere amante, amans amatam adamat, sed mala ei optat. insuper si amans uenerea cupiditate in amata frui desiderat, malum & turpidinem amatæ adesse cõcupiscit. quid enim turpius esse potest in puella uirgine, quàm uirginitatem atq; pudicitiam defraudare? Qui igitur hæc amatæ adesse concupierit, amatam ardenter deperit: sed amorem comitabitur maleuolentia: at qui uult amatæ adesse bona honorabilia, bona utilia, bonaque iucunda, & nihil aliud, nisi ut redametur, hic amat, sed non cum maleuolentia, cum nihil in amata optat, quod non in se optaret. hoc pacto nos Iuliam deperimus: ea enim bona quæ mihi, ei uolo, & ipsa quæ sibi cupit, ei cupio, nec pauciora, nec plura, nec maiora, nec minora. Quòd si ipsa nos redamauerit, noster mutuus amor, ex ero anteroque compositus, procul à maleuolentia est, & ita sit in futurum. hactenus de cupidinis comitibus.

Amorem ex ero, atque antero dissimilaribus compositum non diu permanere. CAP. LXXXVI.

Accidit autem quandoq; amorẽ componi ex ero, atq; antero dissimilaribus, quoties amans, & amata

non delectantur eisdē, quando amans aspectu gaudet amata, amata uero obsequio amatoris. cum igitur ita fuerit, amor non diu inter hos permanebit: desinente enim ætatis flore, amor quoq; frequenter desinit: amanti enim aspectus non amplius iucundus est: amatæ uero non præstatur obsequium deinde. Qui non uoluptatem in amoribus, sed utilitatem commutant, ij & minus se amant, & minus permanent: causa autem, quia non recompensant pro uoluptifico uoluptificum, sed pro iucundo utile. qui autem sic se amant, ero & antero dissimilaribus se amant: quoties autem eros & antibrus dissimilares sunt, amantes minus in amore permanebunt, minus quoq; se amabunt: præterea quando in amore eros est propter uoluptatem, anterus autem propter utile, amantes minus liberaliter se amant quàm si ambo propter uoluptatem se amarent. Amantes, qui minus liberaliter se amant, minus in amore permanent. Quare amor, qui ex ero, & antero dissimilaribus constat, & minor est, & minus durat: non enim se mutuo amabunt, sed ea, quæ inerunt, quæ non permanent.

De querelis amantium. CAP. LXXXVII.

QVoniam querela est accusatio, in omni autem accusatione est accusans, & accusatus, & iudex, et id de quo est accusatio: est accusans interdum amans, interdum amata: persona uero accusata similiter aliquando amans, aliquando amata: iudex uero est Hosia quæ pro numine colebatur à gentilibus, fuit enim regina, quæ in suo regno semper iustitiam coluit: apud alios Iupiter, quia in suo regno iustitiam semper cum sapientia exercuit. restat nūc declarare id in quo amantes se coram Hosia aut Ioue accusent

cuſent. Ariſtoteles Ethicorum octauo, inter amantes qui mutuo ſe amant, nullam querelam poſſe eſſe tradit: quoniam ſi mutuo ſe amant, cuncta agunt, ut ſe in reciproco amore ſeruent: inter eos autem qui cuncta agunt, ut ſe in mutuo amore ſeruent, nulla poteſt eſſe querela, alio quin non cuncta agerent, ut ſe in reciproco amore ſeruarent. Poſtea libro nono inter amantes, qui ſe cupidinis amore diligunt, aſſignat querelas: quæ poſt raptum, illuſtrationem atque incendium naſci ſolent: nam cum omnis querela exoriatur ex aliquo, quod mutuo alter alteri debet, hinc aliquæ querelæ naſcuntur ex debitis, quod alter alteri debet eorum quæ ad animum pertinent: nonnullæ autem ex debitis eorum quæ attinent ad exteriora. Mutuũ debitum, quod alter alteri debet eorum quæ ad animum, atq; interiora pertinent. Primum eſt mutua adhærentia: poſt raptum enim, illuſtrationem, & incendium, animus amãtis mortuus ſuo in corpore, uiuere debet in alieno: hoc eius quam amat: contrà uero amata reddere amanti debet animam, moriq; in ſuo, ut uiuat, atque reuiuiſcat amans. Quum itaq; amantis animus mortuus in ſuo non uiuit in amatæ corpore, naſcitur querela amatæ contra amantem: cum uero contrà amata non reddit animam amanti moriendo in ſuo, ut uiuat, & ſuſcitet amãtem, querela exurgit amantis aduerſus amatam. Eorum uero debitorum, quæ pertinent ad exteriora, Ariſtoteles aſſerit eſſe mutua obſequia: quæ ut arbitror, non ſunt eiuſdem rationis, cum enim fœmina ſit frigidum animal, maſculus uero calidum, amantis ad amatam obſequia, primo ſunt leonicinicæ blanditiæ: quoniam quemadmodum ferrum rigidum molleſcit in igne, ita amata frigida in blãditijs, lenocinijs:

hinc naſcitur ut cuncta animalia, cum mouẽtur ad libidines, prius blandiantur fœminis: eſt enim naturale maſculorum propter exceſſum calidi blandiri. ſi igitur amãs amatæ minus blandiatur, emergit querela amatæ aduerſus amantem: & quoniam maſculus calidior eſt, fœmina uero frigidior, calidumq; refrigeratur frigido, ideo niſi amata perlibenter lenocinias blanditias non patiatur, quibus calidum amantis refrigeretur, ſurgit querela amantis aduerſus amatam. ad hæc quoniam mulier eſt animal mancum, atq; imperfectum, nec ſciens, nec ualens inuenire neceſſaria ut uiuat: maſculus uero animal completum atq; perfectum ſciens & potens de ſe uiuere: hinc amans in omnibus neceßitatibus amatæ ſubuenire debet: ubi autem non ſubuenit, uenit accuſandus. amata uero, quia manca atq; imperfecta apta aliunde neceßitates habere, cum neceßitates perlibenter ab amante non ſuſcipit, non iniuria accuſatur. Inſuper cum mulier ſit animal imprudens, inſipiẽs, natura conſilio inualidum: maſculus autem contrà, natura prudens, ſapiens, atq; conſilio ualens, amans monere, in moribus inſtituere, atq; imperitiam amatæ moderari debet. Quod ſi non fecerit, querela eſt dignus: amata autem, hæc perlibenter ferre atq; ſuſtinere, è quo delirans meretur querelam fortaſſe: igitur per mutua obſequia Ariſtoteles hæc intellexit. Quæ cũ non mutuo præſtantur, incuſationes naſcuntur. nec tamen in præceptis tanti philoſophi eſt inconſtantia: nam cum libro octauo Ethicorum inter amantes negat querelas, de amantibus loquitur qui perfecto cupidine ſe amant: in huiuſmodi enim amãtibus querela eſſe non poteſt: quoniam cuncta agunt, ut ſe in mutuo perfectoq; amore ſeruent. Quum uero libro nono aßignat

querelas,

querelas, fortasse de illis amantibus dicit, in quibus amor non uenit ad perfectam genituram, sed solum usque ad incendium, quo est cupidinis accrementum: in talibus enim querelæ esse possunt ex parte inhærentiæ, & transformationis, necnon ex parte exteriorum obsequiorum, ut expositum est.

De conuictu amantium. CAP. LXXXVIII.

QVoniam diuturna absentia amantium tabefacit cupidinem: nam in prouerbio est, silentium dirimit amores: ideo si cupido semper recens seruandus fuerit, conuictibus opus est, non quidem semper perpetuisq; (uoluptas enim continua in dolorem uertitur) sed pro necessitate, atq; leni admodum delectatione adhibitis. Nec amãtium conuictum intelligimus eum qui uenerea in libidine est: sic enim animalia conuiuunt, & homines quo animalia sunt: homines uero quo homines, fruitione mutua, quæ rerum pulchrarum est, quas amantes apud se cognoscunt. Muta enim animalia in rebus sensibilibus non cognoscunt pulchrum: homines autem cognoscunt: ideo in pulchris conuiuere pro necessitate hominibus est iucundissimum. Ad hæc sicut amantes natura affectant esse, quod est uiuere, ita affectant simul operari, quod est conuiuere & simul esse. Conuictus igitur amantium, ut Aristoteles inquit, in pluribus consistere uidetur: primo in mutuo usu: sic enim amantes frui uidentur ea pulchritudine, quæ per usum habetur: & quoniam amantis, & amatæ est unum uiuere, ideo amans cum amata ea in actione uiuere desideret, quæ amatæ est præcipua delectatio. Quæ enim actio est amatæ præcipua

pua delectatio est quasi suum esse, cuius gratia eligit uiuere quatenus ad illam aut uniuersam, aut fere omnem uitam destinauit: hinc est, ut nonnulli cum amatis conuiuāt, choreas faciendo, alij modulando, alij ludendo, alij philosophando, ueluti Socrates cum Diotima, nonnulli poëmata conficiendo, nonnulli eloquendo atq; ex arte dicendo. Si amata in huiusmodi uoluptificam uitam duxerit, itaq; in ea actione commorari atq; conuiuere amantes cum amatis debent quam maxime diligunt, & in qua pro maiore suæ uitæ parte uiuunt: sic enim amatis conuiuent, hoc est uno uiuere ac eodem permanebunt.

De accidentibus, quæ amantibus contingunt in aspectu amatæ. CAP. LXXXIX.

PLura uero accidentia amantibus contingunt coram amatis, quæ si omnia referre uellem, ad immensum proficisceretur oratio: dicamus igitur breuibus, quæ plerūq; eueniūt, quæq; potiora uidentur. Contingit primo, ut amantes amatæ puellæ aspectum timeant, non propterea, ut Platonici asserūt, quia diuinitatis fulgor in eius pulchritudine emicet, quasi Dei simulacrum obstupescere atque contremiscere cōpellat: nam licet fortasse in amore officioso hoc uerum esse posset, tamen in cupidineo ipso amore amatæ puellæ ideo aliquādo aspectum timent, quia in eo alicuius mali aut uota aduersantis futuri meditātur: quippe cum timor, ut diximus, ex futuri mali imaginatione exoriatur: aut quòd arbitrentur ipsam ob excellentiā esse formidabilem: sic enim serui in præsentia domini, & subditi in aspectu principum propter præstantiam metuunt: accidit etiam interdum, ut amātes coram amatis diuitias, & honores contemnant, non ideo, ut Platonici autumant

mant, quia par eſt, ut diuinitas, quæ in humano pulchro re lucet, humanis omnibus anteponatur. Nam licet fortaſſe iſtud in officioſo amore locum haberet, tamen amantes ideo ea contemnunt, ut oſtendant amatam ſolam cordi ſibi eſſe, ſolamq; cæteris bonis eſſe anteferẽdam: quinetiam ſunt, qui amatam propriæ uitæ antepoſuerint: euenit etiam coram amata, ut indicijs atq; argumentis demonſtrent ſe uelle, atq; cupere transformari in eam, ut Meduſa in ſaxum, non propterea, ut Platonici commentantur, quia Deum quem in amata cognoſcunt, pro homine fieri cupiant, atq; conentur: quis autem pro Deo hominem non cõmutet? nam licet in honeſto amore hoc fortaſſe uerum ſit, amantes tamen ideo in amatam ſe transformari cupiunt, ut eius effigie formati, ab ea nunquam ſeparentur, in eaq; ſemper uiuant. Cõtingit etiam coram amatæ aſpectu, ut ſuſpirent, & congaudeant: ſuſpirant quidem, quia perdite amando ſeipſos amittunt, perdunt, ac perimunt: gaudẽt uero, quia ex eius aſpectu multis uoluptatibus fruuntur. Inſuper accidit, ut in amatæ præſentia caleant, & frigeant inſtar eorum, quos tertiana febris inuadit: merito quidem frigent, quia præ nimio amore cor calore proprio deſeritur: calent uero, cum humanæ pulchritudinis fulgore exteriora corporis omnia accẽdantur. Euenit præterea ut licet amãtes hebetiſsimi ſint, coram tamen amatæ aſpectu acutiores euadant, non propterea, ut Platonici fingunt, quia diuino radio, qui in humano pulchro ſcintillat, illuſtrantur. nam licet, ut diximus, in modeſto amore, uerum eſſet, tamen in cupidineo, de quo loquimur, propterea acutiores euadunt, quia neceſsitas conſequendi amatam (quod fieri non poteſt ſine ſapiẽtia) eos compellit ad prudentiam

dentiam ſpiritus uigorando atque diſponẽdo, adeo ut bene ſeruiant ſapientiæ, quemadmodum accidit Pſittaco, qui cibi compulſione didicit ſuum χάιρε, accidit quoque, ut uelint amatam ſuper omnes pulchras pulchriorem, eam tamen deſiderent defœdare. Pulchriorem quidem eſſe, quoniam ei bona omnia uolunt, quæ ſibi uolunt. At pulchritudo bonum quoddam eſt, quod omnes ſibi cupiunt. Defœdare autem, quia in ea concupiſcunt uenerem. Venus autem ad intemperantiam atque incontinentiam trahit, ideoq; ad inconcinnitatem, quæ uirgineam puritatem defœdat.

Cupidinis immanitates. CAP. XC.

SVnt etiam nonnullæ eorum, qui propter cupidinem exardent, immanitates iure non prætereundæ. Quarum ea prima eſt, nonnullos adeo perdite deperiſſe, ut etiam in ſtatuarum amores impellerẽtur, ueluti qui Venerem Gnidiam Praxitelis opus adamarũt: cum qua ferunt concubuiſſe genitaleq; ſemen perſæpe emiſiſſe Alchida. Iuuenis Rhodius ſimili modo cum Cupidine, quod etiam Praxitelis opus erat. Nam genitale ſemen poſtea in marmore repertũ eſt. Quidam iuuenis Athenienſis, ut Aelianus refert, Fortunæ ſtatuam adeo deperiuit, quam cum emere caueretur, prope eam mortuus repertus eſt. Cratis paſtor adamauit capram, Elinus ouem, Auretes equam, Meſſala agreſtis aſinam: eſt enim tanta amoris uis, ut non ab ratione Menander eum imperioſum Deum dixerit. Theocritus ſanguinem eum trahere, ueluti paluſtris ſanguiſuga.

Cupidinis

Cupidinis probitates. CAP. XCI.

SVnt etiam è conuerſo probitates: nam cupido prudentem reddit amantem ad prouidendum, acutum ad diſſerendum, facundum ad eloquendum, ad res gerendas magnanimum, ad iocos facetum, ad ludos promptum, ad ſeria fortiſſimum, ad pericula audacem atq; cõfidentem, ſummota diſſenſione concordem: præſtat amanti uitata miſeria felicitatem: ubi enim mutuus amor, ibi nullæ inſidiæ: ubi nullæ inſidiæ, ibi communia omnia, ibi & lites, & furta, & homicidia ceſſant, & prælia.

Puellarum, quæ è uita deceſſerunt, non eſſe cupidinem, nec eorum amantium, qui defuncti ſunt. CAP. XCII.

SEd non parua digladiatio eſt, poſſintne amatæ mortuæ, aut amantes amari. Poëtæ amatas poſt mortem amare ſe multis carminibus fatẽtur. Illuſtris Victoria Columna Piſcarienſium Marchioniſſa nec patitur, nec audit illos, qui negant ipſam Ferdinandum Aualum ſtrenuiſſimum olim ducem, nunc poſt mortẽ non deperire: quin longe maiore amore illum ſe affirmat adamare, quàm dum in humanis ageret. Hoc etiam teſtãtur honores, qui defunctis exhibentur: qui ſi non amarentur, honoribus non honeſtarẽtur. Sed ſi uerũ id eſt, Omnia uincit amor, ſoluũtur & omnia morte: puellas amatas, aut amatos poſt mortem nullatenus nos amare cõtingit. Deinde amor deſideriũ eſt fruẽdi pulchro: quod non eſt pulchrum, nec eſſe poteſt, in fruendi deſiderio eſſe nequit: nemo enim deſiderabit quod fieri non poteſt. At cum amata poſt mortem, nec pulchra ſit, nec eſſe poſſit, quo nam modo adamari poterit? Qua ratione dicamus nihil eſſe amabile amore cupidineo, cum

quo

quo nulla est fructus spes: est enim amor cupidineus affectus, ut diximus, appetitus sensitiui, qui non fertur nisi ad id, quod omnibus sensibus aptum est subijci, quo etiam per eosdem frui speramus: at cum amatæ post mortem nec sensibus subiaceant, nec fruitionem aptæ subire sint, fit, ut amore cupidineo non sint amabiles. Amore autem beneuolentiæ, qui actus est uoluntatis, amare ipsas possumus, eis illa bona adesse optando, quæ possibilia sunt mortuis: & quoniam mortui saltem, ut Aristoteles inquit, esse habent in memoria uiuentium, quod honoribus uenerari, dehonorationibus autẽ uituperari possunt: hac ratione eis bene uelle possumus, quatenus honoribus honestare, laudibus extollere, id quod in uiuentium memorijs est, amantes possunt.

Nec in plantis, nec in mutis animalibus esse cupidinem, sed amorem quendam. CAP. XCIII.

SVnt qui amplificando amoris regnum, in stirpibus, animalibusq; mutis cupidinem esse tradant. Theophrastus enim scribit inter oleam & myrthum mutuum esse cupidinem, & inter ulmum, & uitem: Columella uero inter ficum & oleam, nec solum in stirpibus, quæ genere differũt, sed etiam in ijs, quæ eiusdem generis sunt. Scribunt enim palmam sine suo masculo non generare: cæteraq; alia plurima, in mutis quoq; animalibus: primo quidem quæ genere differunt, ut inter Psittacum & Turturem, inter Turdum & Merulam, & ut scribit Aristoteles, inter Elephãtum & Delphinum, inter Gallum & Pauonem. Legimus etiam in Corintho puerum à Delphino amatum esse, in Spartha Cythariſtam ab anſere, & à Gracculo Mesenum, & Xenophontis puerum (ut scribit Aelianus)

Aelianus) à quodam cane. Verum non cupidines, sed fortasse amores quidam, aut naturales quædam conuenientiæ hæ sunt, quæ aut propter naturam generis, aut speciei uel individui emergunt.

Cur cupidinem Poëtæ deum esse finxerunt. CAP. XCIIII.

QVoniam autem cupido in amantibus quædam quasi miranda facere uidetur, cupidinem deum esse fabulantur poëtæ. cernimus enim primo animalia fere omnia, & muta, & rationabilia pro amore sese in præcipitia dare, extrema pericula pati, mortem nullo pacto extimescere, & quod admiratione magis dignum est, imbecillia animalia, ut Plato inquit, amoris causa aduersus ferocissima, atq; robustissima acerrime pugnare, nec pericula nec mortem recusare. deinde inimicitiæ, quæ amoris causa emergunt, grauissimæ spectantur: nam nec odium, nec ultio maior spectatur, quàm quæ ad ulciscendas iniurias adhibetur, ceu de Turno Virgilius, & de Medea scribit Seneca. Præterea quis ignis maior, quàm qui amoris causa in amantium pectoribus accenditur? est enim qualis is, qui à Tragico Poëta sacer nuncupatur: nam quemadmodum qui sacer ignis est, carnem omnem urendo ossa tandem arida relinquit: ita quoq; cupidinis ardor cor & uiscera arefaciendo, demum in cineres uertit: ut sit illud Terentij uerissimum, adhære huic igni, quia te plus satis calefaciet. Qua ratione fit ut cupidineus ignis longe uehementior habeꝫ dus sit igne elemento: quòd hic, ut Cyrus inquit apud Xenophontem, non urat, nisi tetigerit: ille & prope, & procul, & tactu, & imaginatione amantes incendit. Deinde quis dolor maior, quis incendiosior, quis ardentior eo do-

lore, qui cupidinis causa nascitur. dolor enim qui ex charissimorũ morte proficiscitur, tempore tabescit. At dolor qui cupidinis causa est, quanto morosior fuerit, tanto in maiorem feruorem euadit. febris insuper quæ humorum causa nos inuadit, quæ ex pituita oritur, sex horas nos quiescere permittit: quæ uero ex rubra bili, die integro: quæ ex atra, duobus. at quæ amore in sanguine est, tanto ipsa sanguinea febre ardentior uidetur, quanto animus, quem affligit, cordi præest, quòd sanguinea ipsa febre laborat. adhuc tanta est cupidinis uis, ut non modo nostræ salutis obliuisci cogat, sed amori rebelles fieri, qui nobis natiuus est: compellit enim longe magis amatam adamare, quàm ut quispiam sei psum amet. Hoc autem aduersus eã naturæ legem est, qua quis natus est, ut longe seipsum ardentius quàm alteram quãuis depereat. Deinceps quis cupidinem pernicioſiorem non existimabit, si furor qui exusta rubra bili nos inuadit, cogat exclamare, qui uero exusto sanguine ridere, qui autẽ exusta atra bili mœstos esse? At cupido cum nos inuaserit, uno eodemq; tempore exclamare, atq; tacere; flere, atq; ridere: lætari atq; dolere urget: et quod his maius est, eodem temporis momento sperare, atq; spe distitui, timere, atq; audere, irasci atq; mansuescere, auidos esse atque abhominari, zelotypos esse, & non zelotypos. Postea si illud Plauti uerum est, cupidinis ui amantem in amatam transformari: quemadmodum, ut Plato inquit in Phædone, Tyranni in lupos, ut diximus, Orpheus à mulieribus dissectus in Cygnum, Thersita in simiam mutatus est, quæ res cupidine pollentior dicenda est? Intensa enim amatæ meditatio usqueadeo amãtem rapit, ut in ecstasim, hoc est, in alienationem ducat amatæ, ut in ea quiescat, atque

respi

resipiscat. qua ratione Plato cupidinem magnum dicit, & Propertius se Propertium esse negat, sed uel umbram sine tactu: & Plautinus amans, se non ibi esse, ubi est, ubi autem non est, ibi esse dicit. Sed his omnibus illud, ut Apuleius inquit, mirabilius esse uidetur, uri corpus, nullo uirente igne, ut in amantibus cernitur, qui sine igne incenduntur. Hæc igitur, & alia plurima sunt cupidinis mirabilia, propter quæ Poetæ eum inter deos collocarunt.

De cupidinis parentibus secundum Poëtas, & de interpretatione. CAP. XCV.

Diotima sibylla cupidinis originem sociati hunc in modum demõstrauit. In Veneris natalibus discumbentibus dijs Porus Cõsilij filius potu nectaris ebrius cum Penia in Iouis horto se miscuit, & ex eo congressu Cupido natus est. per hæc enim intelligere uoluit cupidinem ortum esse ex Poro, qui deus est affluentiæ, atque ubertatis. non enim potest cupido nasci, nisi semẽ genitale affluxerit, & multum, & sæpe, & ex Penia, quæ est inopia: affluente enim semine, cum puellarum inopia, qui amat, ardescit: qui enim abũdat puellis, nulla fere afficitur. At qui in semine excrescit, & in puellis inops fuerit, hic est, qui cupidine uritur, & feruet. Aut potius Porus seminis habet symbolum, πορὸω, quod est immitto: & Penia conceptus, qui non fit sine indigentia quæ est.

De ægritudine cupidinea, & quibus signis à cupidine discernatur. CAP. XCVI.

Cupidinem uero nonnunquam in cupidineam ægritudinem peruenisse, argumẽto nobis est Antiochus Seleuci filius. quòd autẽ hoc cõtingat, nonnunquã Rhases,

Auicenna, & Galenus demonstrant. nam cum amantis intentio in assidua puellæ amatæ cogitatione tota se uerset, sitq; illic naturalis complexionis ius omnis intenta, cibus in stomacho perfecte concoquetur nunquam: quo fit, ut maior in excrementa quantitas emittatur: minor uero, & ea quidem, quæ cruda est, trahatur ad iecur, ubi etiam male concoquitur: ideo sanguis paucus, crudusq; inde per uenas diffunditur: quare membra omnia cruditate alimenti extenuantur, & pallent. præterea quocũq; animi assidua fertur intentio, illuc & spiritus aduolat, qui animæ siue currus, siue instrumenta sunt. & quoniam in amatæ puellæ imagine tota amãtis intentio fertur, & rapitur, eôdem etiam trahentur & spiritus: illuc autem euolantes, assidue resoluuntur. quapropter frequentissimus puri sanguinis fomite opus est ad consumptos spiritus recreandos, ubi subtiliores quæq; & lucidiores partes sanguinis quotidie in reficiendis spiritibus exhalantur. propterea puro, & claro sanguine resoluto, maculosus, crassus, aridus restat, & ater: hinc exiccatur corpus & squalet. Hinc & melãcholici amantes euadunt: ex sicco enim, crasso, atroq; sanguine melancholia efficitur, quæ suis uaporibus caput opplet, cerebrum siccat, animam tetris horrendisq; imaginibus dies noctesq; solicitare non cessat: quod Lucretio philosopho epicureo propter amorem legimus accidisse, qui amore primum, insania deinde uexatus, sibi tandem ipsi manus iniecit. Galenus morbum cupidineũ ἱερὸν, Auicenna autẽ Hilicim appellauit. Signa uero multiplicia sunt, quibus à cupidine discernitur. primum quidem à qualitate ipsa mutata: nam oculi eorum sunt sicci, atq; profundi: membra omnia præter oculos arefacta & squalida. dico præter oculos, quo

los, quoniam licet profundi sint, tamen sunt graues, crassis palpebris & magnis affectu propter insomnietatem, & ploratum. figura uultus sine ordine atq; uariabilis. deinde ab actionibus læsis: nam palpebræ continuo mouentur. rident uero ac si pulchri nõnihil aspexerint, & iucundi, aut audierint sonos delectabiles: lætantur modo, modo tristantur: cum plorauerint, singultatim flent: frequenter cũ suspirauerint, attollunt suspiria: cum amatorias modulationes, atq; cantilenas audierint, nunc ridendo lætantur, nunc flendo tristantur, præsertim cum amatæ rebellionis meminerint: & absentiæ pulsus sunt eorum, qui tristantur inordinati, atq; difformes. Discernitur autem cupido ab ἔρωτι, quoniam licet, qui cupidine amat, uni se in omnibus præbeat, & perseueranter, in actionibus tamen seruat modũ & ordinem, cunctaq; agit ratione, accommodata cupidini facere uidetur. nam perseueranter amando, & quidem unam, cuncta amatæ gratia contemnit. infelicem queq; se putat, cum memoriam in aliud quàm in amatam occupauerit. neminem arbitratur se feliciorem, quoties amatam aut inspexerit, aut alloquutus fuerit, aut tetigerit: amat quæcunq; amatæ sunt, honoribus laudibusq; quotidie extollẽdo, tuetur eius honorem infamiã ei attributam acerrime repellendo: & ut breuibus cõcludã, omnia quæ amata uult, ipse uult, quæ amatæ displicẽt, ipse abhorret, quæ licet ab affectu proficiscantur, ratione tamen affectui conformi aguntur. Qui uero cupidineo morbo laborat, quæcunq; agit, sine modo & ordine facere uidetur. Tradit autem Auicenna signum quo solers medicus cognoscere poterit puellam, cuius gratia ἐρωτι amans laborat, ex pulsu ipso. pulsus enim in commemoratione puellæ alteratur, præ-

sertim si commemoratio post obliuionem à medico procu-
retur. Insuper etiam & in subitario occursu: usqueadeo, ut
etiam imperiti medici huiusmodi impulsu differentiam co
gnoscere poterint. Et quamuis Erasistratum in Antiocho
Seleuci filio, qui nouercam deperibat, hoc cognouisse ferãt
historici, Galenus tamen eo libro quem de prædictionibus
scripsit, asserit illud de Erasistrato narratũ huiusmodi esse
comperisse, suoq; tempore illud in uno quodã iuuene, qui
sæua ἐρῶν laborabat, ex motu pulsus se deprehendisse, sed
ubi puella præsens non fuerit aut obuians aut occurrens,
non est facile illud annotare ex pulsu. Auicenna tamen do
cet hoc pacto, ut plurium puellarum nomina dicẽdo solers
medicus pulsum manu perseueranter contingat: inueniet
enim eum mox diuersum, cum nomẽ amatæ in narratione
occurrerit. quòd si cum occursu nominis amatæ formam,
mores, domum, dignitatẽ, cæteraq; quæ eam extollunt, ipse
medicus, aut alius narrauerit, in pulsu etiam maiorem di-
uersitatem persentiet: & quoties uicissim hoc fecerit, inue
nies apud huiusmodi cõmemorationes semper in pulsu mu
tationem non paruam. Quod se expertũ esse testatur. Rha-
ses Cyrus medicus nõ inexpertus, huiusmodi morbum cu-
rat coitu cum ea, quæ in desiderio est, si fieri potest, aut lege
in uxorem ducẽdo, ut Thrasistratus Antiochum, aut alio
modo: si autem fieri non potest, coitus cum alia simili per-
sæpe fieri, ut inquit, procuretur: itemq; ieiunio, ut Crates di
cebat, Amorẽ sedat fames: Seneca uero, Quẽ si fouere atq;
alere desistas, cadit, breuiq; uires perdit extinctus suas. In
super & ebrietate, quoniam uinum spiritus multiplicat,
& pabulat, qui amore aruerunt. nam ut ferrum molleſcit
in igne, sic amantis arefacti spiritus in uino. & deambu-

lationes

latione: deambulatio enim otium tollit. sub deambulatione intelliguntur gymnicæ motiones, ut uenatio, & cætera in quibus corpus mouetur. & ablatione otij, otia enim si tollas, periere cupidinis artes. sunt et alia multa, quæ à medicis quærantur.

De illegitimo atque præternaturali cupidine. CAP. XCVII.

QVoniam, ut Plato inquit, duplex uenus est: mascula, quæ libidinis uenereæ expletio est masculorum cum pueris: & fœmina, quæ uenerea uoluptas est masculorum cum fœminis eiusdem speciei (dico eiusdem speciei, quoniam hominum cum mutis animalibus uenereæ libidines, aut cum se ipsis mastuprationes non sunt amatoriæ, sed omnino à gētibus alienæ) hinc duplex exoritur cupido: alter fœmineus, qui desiderium est coëundi cum puella amata, de quo diximus: alter autem masculus, qui desiderium est coëundi cum puero amato: ille enim ex uenere fœmina, hic autem ex mascula ortum habet. Conueniunt autem in omnibus præterquam in obiectis, & in naturis. in obiectis quidem, nam illi puella, huic puer obijcitur. in naturis uero, quoniam cupido masculus, cum oriatur ex appetitu ueneris masculorum cum masculis, est omnibus modis detestandus, quibus mascula ipsa uenus apud naturam est exorbitabilis. Est enim uenus mascula primo exorbitabilis naturæ animalium: nam per eam impeditur eius quod simile generanti est, generatio, quæ opus uiuentium naturalissimum est in animalibus perfectis, & non mutilatis, nec, ut Aristoteles inquit, spōte genitis. Est insuper aduersus naturalem animaliū inclinationem, quæ quatenus, ut Plato inquit in Symposio, diuino & immortali

esse participent, omnia natura fœminas appetunt, ut in eis perpetuum esse lucrentur. Præterea est contra prouidentiam, quæ præbuit omnibus animalibus, ut sibi similia generent, in uenere mirabilem uoluptatem quærere: at in usu puerorum non potest generatio animalis similis esse. Quare qui eis utuntur in uenere, aduersus diuinam prouidentiam agunt. Est insuper aduersus patientis naturam, nam qui patitur eo loco, quo patitur, non delectatur, nisi ut Aristoteles inquit libro problematum, per accidens. Hac ratione Aristoteles inter immanitates, Plato autem inter prophanitates huiusmodi masculam uenerem enumerauit, quæ uitia sunt contra uirtutem tum humanam, tum diuinam heroicamque: nec tamen inter ferinas modo, est enim ferina immanitas, uitium apud feras usitatum, ut carnes crudas comedere, cum matribus commisceri, & id genus: sed inter monstrosas, quæ in horrenda malitia excellunt & humanas, & ferinas immanitates. Huiusmodi horrendam immanitatem Aristoteles ex barbaris translatam esse ad Græcos demonstrat in septimo Ethicorum. nam Græcos, qui cum barbaris uersabantur, hac horrenda immanitate fœdatos esse affirmat. Quinimmo postea apud Græcos prophanitas hæc mirum in modum accreuit, ut apud Lacedæmonios, Athenienses, apud quos non erat omnino lege cauta. Insuper apud Cretenses adeo uenit in usum, ut etiam Iouem pueros deperisse fabulentur, quem deorum patrem atq; hominum regem fecerunt. Apud Romanos puer adamatus Pullus uerbo communi dicebatur. apud Thebanos non solum iuuenes pueros deperibant, sed (quod longe monstrosius est) matronæ præclaræ atq; illustres uirgines ardenter adamabãt. Nec poëtæ huius infamiæ horrẽdæ notã

carue

caruerunt: nam Anacreon Batillum deperiuit, Pindarus Pana, Alcæus Lycum, Myſten Valgius elegiographus, Euripides Agathonem, Valerius Flaccus in delicis habuit Amazonicum puerũ, Tibullus Cheritum, Aſinius Gallus Hippolytũ, Theſtylum Vaconius, Ligurinum Horatius, Roſcium Q. Catullus Epigrãmatiſta, Iuuentium Catullus. Nec hi hac nota caruerunt, qui apud gentiles, ut dij colebantur. Nam Ganymedem Iupiter adamauit, Hylam & Abderum Hercules, Apollo Branchum Theſſalum, Bacchus Ampelum, unde Vitiſator dictus: nec reges etiam, quia Antinoum Adrianus Imperator adamauit, Gyges Rex Lydorũ Magnetẽ Smyrneũ. Imo (uenia ſit dicto) Platonẽ Gellius uidetur notare per hæc carmina,

Suauia dans Agathoni, animam ipſe in labra tenebã,
Aegra etenim properans tanquam abitura fuit.

Sed profecto (ut diximus) ſtomachoſum, fœdiſſimum, naturæ rebelle uitium eſt, nec prophanum modo, humanis ac diuinis legibus cautũ, uerum etiam belluis horrẽdum, quod ſit potius ad interimendum, quàm ad propagandum humanum genus. Qua ratione fit, ut non iniuria aduerſus Periandrum in Ambracia tyrãnum ſeditioſæ inſidiæ motæ fuerint, quòd in conuiuio quæſierit à puero quodam à ſe adamato eſſétne pregnans. C. Marius corona inſigni Cælium honeſtauit, quòd tribunũ interemerit, qui uenerem maſculã à ſe rogauit. E senatu fugatur Q. Flaminius, quòd paſſus ſit cynedum, quem deperibat, apud ſe interimere militẽ, cum in Gallia præfectus eſſet. Sanctiones crimen nullum execrabilius iſto putant, quòd naturæ ſit exorbitabile offendiculum.

De illegitimo, & naturali, deq; legitimo cupidine. CAP. XCVIII.

PLato in Sympoſio amorem diſſecuit in duos: alterũ, qui in mente æternus amor eſt ad diuinam pulchritudinem peruidendam: cuius gratia philoſophiæ ſtudia, & iuſtitiæ, & pietatis officia ſequimur. alterum in generandi potentia, qui tanquã ſtimulus quidam ad ſobolem procreandam mouet appetitum ſenſituum, atq; titillat: is etiam amor perpetuus eſt, quo aſſidue incitamur, ut ſuperna pulchritudinis illius ſimilitudinem in procreatæ prolis effigie effingamus. Hos duos amores in nobis perpetuos Plato duos dæmones aſſerit, qui noſtris animis ſemper adeſſe uidentur. Quorum alter ad ſuperna, alter ad inferna deprimat. Sunt autẽ ambo boni ſimpliciter, quoniam tam ſobolis procreatio, quàm ueritatis indagatio neceſſaria & honeſta cenſetur. Verum qui ad ſupernã pulchritudinem noſtrum animum attollit, omni ex parte bonus eſt. Qui uero in generãdi potentia occulte continetur, quíque cupido dicitur in hominibus, in animalibus mutis concupiſcentia ferina, quo eſt deſiderium coëundi cum fœmina amatæ generandi cauſa, non quidem cum certa conſtitutaq; fœmina, ſed (ut utar uerbis logicorum) cum fœmina in uniuerſali, non eſt malus, quemadmodum nec appetitus cibi uel potus: quippe cum ille pro ſeruanda ſpecie, hic pro tuendo indiuiduo natura ſit inditus nobis: cum fœmina autem hac uel illa (ut ita dixerim) indiuiduo, ſi freno rationis non moderetur, naturalis quidem eſt, ſed illegitimus. Appetitus enim huiuſmodi (ut Ariſtoteles inquit tertio Ethicorum) puero ſimilis uidetur, cuius pædagogus eſt ratio: nam ſicuti, quando à pædagogo non regulatur,

latur, in concupiscentias longius progreditur (quoniam eius appetitus insatiabilis est) sic appetitus huiusmodi, si ratione non regitur, mentem à suo statu sic dimouebit, ut tandem labatur ad pessimam corporis, & animi labem. Animi quidem, quoniã à præcipuo eius bono auertet, quod in ueritatis contemplatione consistit, & ad mysteria uiliora, ut ad ferinas immanitates detorquebit. Corporis uero, quoniam (ut diximus) corpus ob tristitiam, q ua continuo arescit, tandem in pessimam φθοσιν ducetur, qua multi è uita decesserunt. Hac ratione Plato primum amorem, qui mentem ad superna attollit, Calodæmonem, hoc est bonum genium: secũdum uero, qui ad inferna diripit, Cacodæmonem, hoc est malũ genium appellauit, quòd ille semper ad superna bona animum attollat: hic autem quòd aliquando ad malum animum rapiat: ad malum quidem si præter legem, rationemq; rectam indiuiduo hanc aut illam puellam adamauerit. Nam qui amat quam debet, quando debet, quantoq; amore opus est, non uituperatione notatur: quoniam amor quo deperit, legitimus, ac moralis cupido est: quemadmodum uenereum usum non omnem philosophi uituperarunt: nisi quando, nec cum quibus, nec quanto, nec quando oportet committitur. quando enim sanitatem non delet, nec est præter legem, ac honestum, nec supra hominis facultatem, à philosophis non cauetur. Quòd si uenereus usus hoc pacto non uituperetur, minus quoque cupido humanus, qui illius desiderium est, uituperatione annotandus est. Quando uero excrescit, nimis etiam in uxore turpitudine notatur. Sextum in sententijs scripsisse

autor

autor Hieronymus est, adulterum esse, quisquis in uxorem suam ardentior est amator: quippe in uxorem alienã, aut in fœminam quæ non sibi coniunx est, omnis amor turpis est: in suam uero nimius. Sapiẽtis est uxorem amare, sed iudicio, non autem affectu. Libidinis pruritus rationis examine reprimendi, nec præcipites ferri in concubitum debemus. Fœdius enim nihil quàm uxorem amare perinde, ac adulteram. Seneca cognitum quendam à se testatur ornatum hominem, qui exiturus in publicum fascia uxoris pectus alligabat, & ne momento quidem præsentia eius carere poterat, potumq; omnino nullum sibi nisi alterius prægustatum labris uir & uxor hauriebat, alia item pleraq; nec inepta minus facientes, in quæ improuida uis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honestus erat, sed nimietas deformitate non carebat. nihil autem referre arbitramur quàm honesta causa quis insaniat. Aristot. quoque tradit ideo lege cautũ esse, sororem in uxorem ducere, ne duplicato amore, scilicet cõsanguinitatis, & coniugij, uir nimis effœminaretur. Amor itaq; quo quis puellam amat, ut in uxorem ducat, si metam non excesserit, non est fœdus, neq; præter leges: si autem amat, non ut uxorem ducat, sed ut amata fruatur, illegitimus est, legeq; cautus & diuina, & humana: at si amat, ut in uxorem ducat, sed ardentius, hoc est affectu, & non iudicio, etiam non laudatur.

De remedijs cupidinis. CAP. XCIX.

QVoniam cupido turpis est (ut diximus:) aut quia est fœminæ quæ amantis coiunx non est: aut quia est fœminæ, quæ coniux est amantis, sed excedit metam,

atq;

atq; etiam modum, ideo remedijs opus est: & quoniam ut Galenus inquit, omnis perfecta curatio per ea fit, quæ causis sunt contraria: ideo dicamus primum remedium esse, quod aduersatur primæ causæ, quæ lex est naturæ, qua compellimur præter modum ad amàdum. Hoc autem est abstinentia, quæ in uigilijs, ieiunijs, atq; exercitijs perficitur: non enim (ut Apostolorum princeps inquit) desideria in cubilibus, impudicitijs, carnisq; cura facienda sunt, nisi pro naturæ necessitate. Deinde aliud remedium est, quod aduersatur secundæ causæ, lasciuis uidelicet meditationibus, quod est, ut amantis mens circa contemplationem rerum diuinarũ orationibus, & fletu occupetur. Nolite enim (inquit Apostolorum princeps) uino inebriari, in quo libido est, sed loquentes uobiscum in psalmis, hymnis, canticisq; spiritualibus, implemini spiritu sancto, domino in cordibus uestris cantãtes, atq; psallẽtes. Præterea singulare remedium est (ut Hieronymus inquit) scripturarum studia: sic enim carnem non amabis. Dein quibuscunq; bonis cogitationibus animum esse occupãdum: nam ut Chrysostomus inquit, abscissio membri, non ita compri mit tentationem, & tranquillitatem facit, ut cogitationis frenũ. Quod etiam Apostolus monet, cum inquit, De cætero fratres, quæcunq; uera sunt, quæcũq; pudica, quæcunq; iusta, quæcunq; sancta, quæcũq; amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua uirtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Ad hæc amans ab omni otio est repellendus, etiam si in corporalibus laboribus seipsum exercere opus fuerit. Nam ut Hieronymus inquit, facito aliquid operis, ut semper te Diabolus inueniat occupatum: remedium uero aduersus eam causam, quæ accipitur ab exterioribus, singulare est,

lare est, ut quoad fieri potest, & ab aspectu, & à colloquijs, & à conuersationibus, & à frequentijs cum amatis te procul ducas, atque diuertas: nam hæc amantibus ueluti folles sunt ad augendum amoris ardorem: unde Hieronymus monet eum, qui sine cupidine uiuere desiderat, ut mulierum maxime adulescentularum uitet aspectum, ne eum capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Omnia autem hæc Aristoteles septimo Ethicorum ad unum solum remedium reducendo, docet continentiam: patitur enim homo mirabiles cupiditates, quas si uicerit, atq; uincere assueuerit, continens breui tempore euadet. Est enim cõtinentia habitus atq; assuetudo uincendi cupiditates, quæ ex frequentatis (ut ita dixerim) actibus nobis innascitur. Qui enim uincere sæpe alterũ solet, facile uincit omnes. Sic qui cupiditates suas sæpe exuperat, facile seipsum uincendo, continens euadit. Continentia itaq; præcipua est amoris medela, hæc enim sola facit, ut amantes digni laude sint. Hactenus de remedijs.

Exempla eorũ, qui perdite deperierũt. CAP. C.

NE uero amores, de quibus diximus, exemplis careãt, primo eorum exempla afferamus, qui perdite deperierũt. Octauius Pontiam deperiuit. Mundus Tyberio imperante Paulinam genere spectatissimam. Macareus Æoli regis filius sororẽ, qui unà cum sorore gladio à patre missо, post illius partum se interemit. Papyrius Romanus Canuliam etiam sororem, qui simili modo, ut Plutarchus narrat, iussu patris cum sorore se necauit. Marcus Cato Portius captus amore cuiusdam puellæ adeo illius amore deperibat, ut in uxorem duceret: quæ nec suæ dignitatis,

gnitatis, nec sui generis, sed longe inferior erat. Pisistratus Athenarum Tyrannus Thymonossam rusticam uxorem duxit. Gn. Pompeius, qui rerum gestarum magnitudine magnus dictus, perdite Florã adamauit. C. Iulius Cæsar, qui uictor quinquagies cõflixit, Posthumiã Lolliam, Tertiam, & supra omnes Seruiliam deperiuit. M. Antonius adeo Cleopatram perdite adamauit, ut cum audisset, licet falso, illius mortem, se letali uulnere percussérit. Alexander Macedo Asiæ dormitor deperiuit Campaspen, quam seipsum superando Apelli sculptori dono dedit: sed postea perdite adamauit Roxanen, quam cupidine exardens uxorẽ duxit. Magnus Demetrius Antigoni atq; Stratonicæ filius Athenarum liberator Lamiam perdite adamauit. Siphax Libyæ Rex, & Masinissa Numidiæ Sophonisbam deperientes, bella dubia fortuna diu gesserunt. Præfectus Annibalis cum Tarenti cuiusdam puellæ cupidine conflictaretur, causa fuit, ut Fabius Tarentum in iurisditionem Romanorum reduceret. Philippus Rex cupidine Policratiæ captus, eam à suo uiro, qui ex principibus erat Achæorum, ui cepit. Burbare Gabasi Darij Centurionis Orator, cum in Macedoniam mitteretur, filiam Regis Amyntæ perdite adamauit, quam cum uxorem duceret, pacem composuit. Berseba Uriæ uxor sapientissimum illum regem, & prophetam sanctissimum Dauidem usqueadeo concitauit, ut solitæ religionis oblitus, adulterio, & homicidio (Uriam enim deuouit morti) suam contaminauerit sanctitatem. Antiochus Seleuci filius Stratonicæ nouercæ cupidine captus, in tantam uenit ægritudinem, ut Seleucus pater consulente Erasistrato medico

medico, qui morbum patefecit, ei nouercam Stratonicam concederet, qui postea in Babyloniã profectus prope Euphratem amnem Seleuciã condidit. Scipio Africanus primus perdite adamauit ancillã tertiæ Emiliæ uxoris, postquàm tantarum rerum gloria potitus esset: C. Octauius Augustus Liuiam Drusillam: Nero Sabinam & Pompeiam: Marcus Antonius philosophus imperator Faustinã: Dionysius Syracusanus Aristomachã, Alexander Phereus Theben, Aeneas Lauiniã, Theseus Phædrã, Hercules Omphalen, Achilles Polyxenã, Demophoon Phyllida, Medeam & Hypsipylen Iason, Hermionen Orestes, Protheſilaus Laodamiã, Menelaus Helenam, Oenonen Paris, Argiam Polynices, Mars Venerem, Pluton Proserpinam, Apollo Daphnen, Pompeius Corneliam, Agamemnõ Briseidã, Aegisthus Clitæmnestram, Pyramus Thisbẽ, Annibal Salapinã quãdã in Apulia puellã. Sunt alij complures, & Romani & Barbari Philosophi quoq; atq; Poëtæ, qui cupidine irretiti longis temporibus conflictati sunt: sed cum hi pro exemplo satis sint, breuitatis causa prætermisimus.

Exempla mulierum, quæ ardenter deperierunt amantes. CAP. CI.

NOn desunt etiam mulieres, quæ cupidine captæ perdite adamauerunt, ut Phædra Hippolytum, Scylla Nisum patrem, Atalanta Hippomonẽ, Galathea Atim, Circe Glaucum, Carmenta Picum, Egeria Numam, Canace Macareũ, Hypermnestra Linum, Penelope ac Circe Vlyxem, Hypsicrate Mithridatem, Portia Brutum, Iulia Pompeium, Procris Cephalum, Deidamia Achillem, Semiramis Ninum filium, Biblis Caunum fratrem, Myrrha Cinyram

Cinyram patrem, Gineura Lanzellottum, Isotta Tristanum, Franciſca Paulum cognatum, Pompeia Iulij C. uxor Clodium, Calphurnia Appianum, Seruilia Lucullum, Terentia M. Tullium, Meſſalina Claudium Siluium, Fauſtina Orphitum. hæ enim tanto amore irretitæ fuerunt, ut ad manifeſtas inſanias deuenerint: nec iniuria, nam formæ eſt quoddam amoris illecłamentum, quo nullum aliud magis efficax uenenum ad iritandum uenerem dari queat. urit enim non ſolum tactu, ſed ipſo quoq; intuitu, & uenas incendio quodam populatur, quo qui laborant, ſic miſeri pereunt, ut omnes alias recuſent, & auerſentur uoluptates.

Exemplaconiugum quæ maritos ardenter deperierunt. CAP. CII.

QVoniam fuerunt nonnullæ mulieres, quæ amoris affectu potius, quàm iudicio ſuos maritos deperiſſe notatæ ſunt: earum, quæ nobis occurrunt exempla ſubſcribemus. & licet uires meæ longe minores in ſcribẽdo ſint, quàm ut ex merito indulgentiæ atque coniugalis amoris laudes proſequi poßim, quæ tamẽ nos inculto ſtylo non aſſequemur, rei ipſius magnitudo in lucẽ proferet. Iulia itaq; C. filia adeo Pompeium uirum ſuũ adamauit, ut cum uidiſſet illius ueſtem cruore reſperſam, eo è campo domum redeunte territa metu, ne qua uis ei eſſet allata, exanimis cõcidit, partumq; quem utero conceptum habebat, ſubita animi conſternatione, & graui dolore corporis eijcere coacta eſt, atq; ita expirauit. Portia Catonis filia uxor Bruti cum apud Philippos uictum & interemptum uirum ſuum cognoſceret, quia ferrum non dabatur, ardẽtes ore carbones haurire non dubitauit. Gentis Cariæ reginam Arthemi-

r ſiam

ſiam poſt obitum uiri ſui Mauſoli extincti oſſa, in cinerem conuerſa potioni aſperſa bibiſſe tradunt, ut illius corpus intra ſe haberet, quemadmodum intra animum Hipſicratea Mithridatis regis uxor, adeo uirum ſuum effuſis charitatis habenis amauit, ut præcipuum formæ ſuæ decorem in uirilem habitum conuerteret, uirumq; dilectiſſimum per omnia dura, rerum militiæq; arduos labores ſectaretur: id quod in Iſabella Vilamarina Salerni principe, quæ flos redolentiſſimus noſtri æui eſt puellarum, corporisque & animi formæ ſingulare exemplum, eſt uidere. Hæc cum Ferrandum Sanſſeuerinum coniugem flagrantiſſime deperiret, unaque in militiam proficiſci arderet, quia ab eo ob pericula & labores fuit denegatum, nullam teſtatur Heroinæ religioſiſſimæ, aut raram eſſe noctem, qua cum dulciſſimo uiro in ſomnis non coniunctiſſime uiuat, fabuletur ac delicietur, ut omnibus uotis exoptaret perpetuas eſſe nocles (cum illum totos dies ſuſpiret) & in Epimenidem transformari, quæ de Alceſte & Laodomia fabulata eſt uetuſtas. Parem cunctationem merentur, quæ de Didone, & Andromache ſcripſit Maro, non quia non credebilia ſint, ſed quoniam à poëta traduntur, cui nihil debere uult hiſtoria. Panthea uxor Abratatæ, adeo erga uirum amore exarſit, ut ſupra mortui uiri corpus ſe perimeret: quod genus mortis à religione noſtra maxime Iſabellæ Richiſentiæ fuit denegatum, cui cum morte Ramundus Cardonius coniunx dilectiſſimus eſſet ereptus, in flore ætatis puella uirtutis ac pulchritudinis ſpecimen uiduitate perpetuisque lacrymis rariſſimum amorem teſtatur, miſerrimeq; tabeſcit. Phila Demetrij regis cõiunx cum accepiſſet eum prælio uictum in Caſſandriam amiſſis

amiſsis regnis ſe recepiſſe, neq; ferre poſſet regno priuatum uidere, ingenti compulſa amore, ueneno ſeipſam extinxit. Vxor Ligarij proſcripti, poſt mortem uiri eos orabat, qui eius cædis fuerant miniſtri, ut ſe quoq; perderent, quòd ipſa etiam per legem morti debebatur, quia proſcriptum uirum domi tenuerat: cæterum cum audire eam nemo uellet, domum reuerſa cibo abſtinuit, atq; in magno mœrore & lacrymis tandem inedia periit. Paulina Senecæ uxor cum diſſectis uenis mori tentaſſet inſtar Senecæ uiri ſui, qui eum moriendi modum delegerat, Nerone eos mittente qui ſanguinem ſiſterent, atq; eam in uita retinerent, cum iam multum ſanguinis eſſet effuſum, pallida ſemper manſit, atque in uultu pudici amoris ſui ſigna ſemper retinuit. Triaria L. Vitellij coniunx non ſecus atq; Mithridatem Hipſicratea uirum armata ſecuta eſt, nec timuit apud Tacinam cum hoſtibus ſtrenuiſsime dimicare, maritalis amoris flamma pectus replente. Stratonis Sydoniæ principis uxor cum urbe à Perſis obſeſſa uerita eſſet, ne in hoſtium poteſtatem uir ueniret, adempto ei gladio manu ſua ipſum occidit, corpusq; eius quantum pro tempore potuit, decenter exornauit, cui poſtea ſuperincumbens ipſa gladio ſe ipſam traiecit, ut eadem in morte uiro, qua uiuens charitate comes eſſet. una enim re ſimul, & coniugalis charitatis, & animi ſui magnitudinem, atq; inſuper honoris quoque curam, cum ne uiui in hoſtium manibus indigna paterentur, prouidit, palàm teſtata eſt. De piſcatoris uxore, quæ eius uiri morbi agnita incurabilitate, cum uiro arctiſsimis uinculis ſimul colligata ſe cum eo de rupe in lacum præcipitauerat, optimum exemplum de maritali amore eſt.

Eudoxia Romana Valentiniani uxor, cum à Maximo Tyranno uir suus esset interfectus, & ab eo in uxorem ui ducta, scelus Tyranni statuit immaniore scelere uendicare: & ita Gensericum Vandalorum atq; Africæ Regẽ clàm accersiuit, eo autem ingentißimum exercitum ductante, exterrita urbs in montes, siluas, munitioraq; oppida demigrauit. Maximus uero Tyrannus dum fuga & ipse sibi consuleret, ab Vrso Romano milite occisus est. Et ne longe exempla petamus, Victoria Columna Illustris Piscariensium Marchionissa post obitum Ferdinandi Auoli uiri sui strenuißimi, quando mortem sibi consciscere religione prohiberetur instar Anniæ, atq; Valeriæ Romanæ, cum propinqui atq; affines, alijq; complures hortarentur, ut uidua iuuenis, formosaq; iterum nuberet, eis sic hortantibus, sæpe ac sæpius respondet, Ferdinandum, qui eius cõiux erat, etsi alijs mortuus uideretur, apud se tamen adhuc uiuere, ideo à secundis uotis abstinens, eum rythmis, atq; elegantioribus carminibus quotidie ueneratur. Nec prætereundũ est exemplum meæ uxoris. cum enim Thesserologium astronomicum scriberem, essemq; tribus fere mensibus in bibliotheca reclusus procul ab omni consortio, uxor arbitrata est me in melancholiam uersum esse: post, igitur multas adhibitas artes, quibus curare eam enixa est, cum arbitraretur tandem me ab ea posse diuertere delicijs amatorijs, puellam quandam pulchriorem ex uicinis, quam obzeloty piam intimo odio prosequebatur, in bibliothecam solam misit, rogans quo ad fieri potest omnem rem concedat, etiam si oportet, amoris fructum: quæ omnia cum ego flocci facerem, ad uota sacra, atq; ad lacrymas se conuertit, in hisq; eousq; permansit, quousq; libello extremam manum impo

impósuíſſem: poſt quæ cum me iucundum (ut prius) & ad conſueta conſortia reuocatum uidiſſet, ipſa quoque è mortuis in uitam rediit. Poſſem & alia exempla ferme innumera enarrare, quæ breuitatis cauſa bona fronte prætermiſimus.

De amore hominis ad hominem, & hominis ad angelos. CAP. CIII.

QVoniam amor hominis ad hominem, ſi ex affectu eſt, cupido dicitur, de quo ſatis dictum eſt: ſi ex uoluntate, beneuolentia, de qua nunc dicamus: nõ enim perſpicuum eſt: nam peripatetici, cum hæc inter homines fuerit mutua, mutuaq; cum cognitione, firma quaſi in habitum conuerſa, ipſam amicitiam uocant: quam duplicem eſſe tradunt, inter æquales, & inter inæquales. eam uero quæ eſt inter æquales, ſi ortum habet ab honeſto, officioſam, ſi à delectabili, uoluptificam, ſi ab utilitate, fructificam dicunt. inter inæquales autem ſi fuerit, aut eſt inter parentes, & filios, aut inter uiros, & uxores, aut inter fratres, aut inter ſubditos, & dominos, aut inter benefactores, & beneficiatos, aut eſt inter ſodales, qui aut in itinere, aut in mercatura, aut in aliquo id genus conſiſtit, quam ſodalitiam uocant: eorum uero inæqualium, quæ ualde diſtant, ut numinum ad creaturas, Ariſtoteles beneuolentiam, ſed non amicitiam eſſe uult. Sed quoniam in his amicitijs, uel beneuolentijs prolixum eſſet digredi, breuibus quis amor ſit hominis ad hominem uerus, quæue amicitia uera, dicamus. Hominis ad hominem itaque beneuolentia, ſiue amor qui in præcepto eſt, charitas eſt, ut uidelicet unuſquiſque proximum diligat, ſicuti ſeipſum. Proximum Aure-

lius exponit eum, qui tecum natus est ex Adam, & Eua: omnes enim proximi sumus conditione terrenæ natiuitatis. in primo uero de doctrina Christiana, eum proximum intelligit, cui exhibendum est misericordiæ officium, si indigeret: quod nulli negandum esse quis non uideat? Domino dicente, benefacite his, qui oderũt uos. Debet autem unusquisque diligere proximum sicut se ipsum, hoc est, ad eandem beatitudinem ad quam diliget se. hac ratione dominus præcepit, ut non solum proximos, sed inimicos diligamus, quippe cum omnis homo ex charitate ipsa diligendus sit, quo uidelicet ad imaginem dei factus est, capaxq; ipsius cognitione atq; amore: oritur enim amicitia charitatis inter proximos à communicatione supernæ beatitudinis: omnes enim saltem potentia illius sunt capaces, quia omnes sunt creaturæ intellectuales ad dei imaginem productæ actu uel potestate beatæ: unde quemadmodum amicitia officiosa (ut Aristoteles inquit) esse non potest inter aliquos, nisi uirtutibus fuerint æquales, aut nisi in communibus quibusdam uirtutibus communicauerint, ita charitatis amicitia non esset inter homines, nisi quia sunt creaturæ intellectuales actu uel potentia in superna beatitudine communicabiles: qua ratione fit, ut mali homines quamdiu sunt in uia, cum potentia possint in beatitudinem peruenire, sint ex charitatis amicitia diligendi. propterea præcipit dominus, ut etiam inimicos diligamus bona gratiæ atq; gloriæ optando, quorum nos & ipsi capaces sumus. Vtrum uero diligere debeamus eos quo ad alia bona, fortasse tenemur in quadam generalitate, quo uidelicet modo eis ualere possunt ad bona gratiæ atque

gloriæ

gloriæ, qui modus soli deo notus est. omnibus enim alijs bonis homo potest bene, aut male uti: quo uero modo ipsi utentur, soli deo patet. debemus igitur desiderare inimicis alia bona, eo modo quo eis ad salutem utilia sunt, quisquis ille fuerit. Talis charitatis amicitiam, nec Aristoteles, nec Plato cognouit, quoniam si cognouisset, non dixisset inimicis esse malefaciendum, quemadmodum amicis benefaciendum. omnes enim amicitia charitatis sumus amici, atque proximi, quoniam omnes sumus creaturæ intellectuales, beatitudinis supernæ capaces, omnesque beati saltem potentia: & quia ita est, ideo præcepit, ut omnes proximos eo modo diligamus, quo nosmet ipsos diligimus. diligimus autem nosmet ipsos optando nobis bona gratiæ atque gloriæ primo: cætera uero bona, quo faciunt ad bona gratiæ atque gloriæ. quòd si aliter nos, aut homines amauerimus, aut nosmet ipsos, non erit amor hominis ad hominem, qui dicitur charitas, sed uel aliqua Aristotelica amicitia, quæ potius in odium uertetur, si in huiusmodi bona non fuerit ordinata. hic etiam esse potest amor hominis ad angelos, & angelorum ad homines: nam licet non sint ex communibus parentibus Adam, & Eua procreati, sunt tamen naturæ intellectuales, ex communi parente deo, qui nobiscum communicant in superna beatitudine, licet angeli actu, nos autem (dum sumus in uia) potentia beati uidemur: quare ipsi amant nos bona gratiæ atq; gloriæ nobis optando: nos uero contrà eodem charitatis amore debemus eos diligere optando bona gratiæ atq; gloriæ in quibus actu sunt. hæc igitur charitatis amicitia est lõge maior quàm Aristotelica, cũ hæc in maiore bono consistet: nam superna beatitudo est omniũ

bonorum iucundißimum, honeſtißimum, & maxime uti le, in qua hæc amicitia conſiſtit: amici etiam, qui huiuſmodi amicitia ſe amant, maiora bona ſibi optant, quàm qui ſe amant Ariſtotelicis amicitijs: optant enim ſibi ipſis mutuo gloriæ atq; gratiæ bona, quæ ſunt maxima omnium bonorum. Qui uero amicitijs peripateticis ſe mutuo amãt, in eo bene ſe amabunt, quo bona ſibi ipſis optant, quæ his bonis ſubſeruiunt. Hactenus de hominis ad hominem, & ad Angelum ueriſſimo amore.

Quod licet inimici, improbiq; homines ex charitate diligendi ſint, charitas tamen non eſt mutua amicitia amantis ad eos, ſed ad deum principaliter. CAP. CIIII.

QVoniam (ut teſtatur Ariſtoteles Ethicorum viij.) non omnis amor amicitia eſt: non enim amor affectus: quare fit ut amor qui beneuolentia eſt, amicitia ſit, quando uidelicet ſic amauerimus aliquem, ut ei bona uelimus: non tamen omnis beneuolentia amicitia: nã ſi rebus amatis non bonum optauerimus, ſed id nobis uoluerimus, ſicuti dicimur uinum aut equum, & id genus amare, non amicitia erit, ſed concupiſcentia: nec ſatis eſt, ut amemus eius gratia, ſed opus eſt mutua redamatione: eſt enim amicus amico amicus, nec ſatis ſunt amatio & redamatio, niſi qui ſe amant, atq; redamant, mutuo ſe cognoſcant: eſt enim amicitia (ut diximus) mutua beneuolentia aliquorũ, qui mutuo ſe cognoſcunt. ſed cũ amicitia quæ inter aliquos emergit, relatio mutua quædam ſit, eget fundamento, in quo amantes ipſi communicent, quare cum charitas nihil aliud ſit quàm hominis ad Deũ amicitia, fit ut ſit aliquod commune, in quo deus, & homo ipſe communicant. Tale

commune beatitudo est: quantum igitur ad hoc, inter hominem, & Deum charitas est, quæ in communi beatitudine firmatur. Quòd si Aristoteles uelit hominis ad Deũ non esse amicitiam, intelligit, quo ad uitam corpoream, sensibilemq;. Nam quo ad uitam spiritalem, atq; intellectualem, amicitia esse potest, cum in hac communicent, nec solum in hac, sed in bono huius uitæ, quod est beatitudo. Quòd uero homo Deo communicetur quo ad uitam spiritalem, Aristoteles decimo Ethicorum tradit, cum inquit, talis autem uita superat hominis naturam: & loquitur de spiritali uita, cuius causam inquit: non enim hoc ipso, quo homo est, ita uiuit: sed quo est quid in ipso diuinum: quantum autem hoc ab ipso composito differt, tantum & huius operatio differt ab ea, quæ à uirtute alia proficiscitur. Quòd si mens diuinum ad ipsum hominem est, & uita, quæ ab hac manat, ad humanam uitam diuina est. Patet igitur secundum Aristotelem, hominem solum uitam spiritalem cum Deo communicare, tum quo ad intellectualem naturam, tum etiam quo ad beatitudinem: quæ est summum bonum intellectualis naturæ. Quòd uero hominis ad Deum, quo ad illam beatitudinem, sit amicitia, Aristoteles eodem libro inquit: Qui secundum mentẽ operatur, & eam colit, & optime dispositus est, amicissimus dijs uidetur esse. Dixit qui secundum mentem operatur, intelligendo: & eam colit, amando: & optime dispositus est, secũdum uitam moralem: amicissimus dijs uidetur esse: quia cum eis communicat in beatitudine intellectuali. Nam hic aut actu aut potentia beatus est. nec charitas amicitia est eius, qui ex charitate inimicos, atq; improbos diligit, ac ipsos inimicos, improbosq; principali ratione,

tione, sed deriuatione quadam (ut ita dixerim) à principali amico, & propter ipsum principalem amicū, qui nobis est Deus. Nonnunquā enim accidit amare aliquē amicitiæ honesti causa, & tunc illius amati gratia eos amabimus, quicunq; ad ipsum aliqua ratione attinent, siue filij, siue serui, etiam si canes fuerint: ut in prouerbio dicitur. & hoc pacto, Qui ad Deum amicitiam charitatis habuerit, tāta esse poterit, ut eos omnes amet, qui aliqua ratione ad Deum attinent. Amabit igitur inimicos, quatenus ad Deum attinent secūdum imaginis similitudinem, etiā quo sunt actu, uel possunt esse beati, dum sunt in uia. Amabit insuper improbos eadem ratione: quoniam non propter se, sed quo ad Deum attinent, quoq; esse possunt beati. Quare licet is, qui ex charitate prauos, atq; inimicos diligit, nullam ad eos amicitiam habeat, satis tamen est, ut ad Deum ipsam habeat, & tantam, ut compellatur eos omnes amare, qui ad Deum aliqua ratione attinent, siue prōbi, siue improbi, siue amici, siue inimici sibi fuerint.

De amore hominis ad res irrationales, deq; uera hominis philautia. CAP. CV.

QVo uero modo homo irrationales ipsas res amet, non est facile definire: nam cum charitas solum se ad Deum, & ad proximum diffundat, uidentur res irrationales ex charitate à nobis haudquaquā diligendæ: non enim irrationales res sub nomine proximi esse uidentur: quippe cum nec cum Deo, nec cum hominibus in natura ipsa intellectuali communicent, nec propterea in ipsa beatitudine, sed ex alio: Deus enim omnia quæ sunt diligit, ut Salomon scribit. Quod autem Deus diligit, se ipse diligit. At ipse charitas est. Quare cuncta ex charitate Deus diligit,

ligit: eadem ratione & homo, qui cuncta propter Deum diligit. Dicamus igitur omnia irrationalia à nobis esse diligenda ex charitate, non quæ est amicitia ad ipsa, & propter aliquid nobis & ipsis commune, sed sicuti bona, quæ alijs uolumus, quatenus uidelicet ea ex charitate conseruari desideramus ad ipsius Dei honorem, hominumq; utilitatem, ad quos charitatis amicitiam habemus. Eodem modo ex charitatis amicitia unusquisque diligit se, non quo hominis ad se amicitia aliqua sit: omnis enim amicitia unio est quæ inter diuersos esse constat: qua ratione fit, ut hominis ad se amicitiæ unio nõ sit. sed quid maius amicitiæ unione, è quo uidelicet ad alios amicitiam habemus? In hoc enim diligimus proximum, quia ad eum nos habemus quemadmodum ad nosmetipsos. Verum ex charitate quis se potest diligere, quadam, ut ita dixerim, deriuatione à principali amico ortũ habente: nam qui Deum ex charitate diligit, Deum principali charitatis amicitia complectitur, postea propter Deũ cuncta alia, quæ ad ipsum attinent. & cum ipse homo, qui charitatem habet, ad Deum maxime pertineat, fit ut ex charitate quasi deriuata ab ipso Deo seipsum diligat tanquã ad Deũ attinentẽ: nec uituperabilis, qui sic seipsum amat. Aristoteles enim eam philautiã uituperat, qua quis seipsum amat optãdo sibi bona exteriora, ut seruiant ad uoluptates corporeas. Eũ autẽ qua quis seipsum amat optãdo sibi bona animi, & bona externa, ut seruiãt bonis animi, nõ uituperauit. Nam qui amat se optãdo sibi bona gratiæ, atq; gloriæ, principali ratione: cætera autẽ externa horũ gratia: hic summis laudibus honestãdus est. hãc philautiã Dominus apud Matth. persuasit cũ inquit, Ne reponatis uobis thesauros in terra,

ubi

ubi ærugo & tinea corrumpit, & ubi fures perfodiunt ac furantur: sed recondite uobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neq; tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt neque furantur. & paucis interpositis, inquit, Propterea dico uobis, ne sitis solliciti uitæ uestræ, quid esuri estis, aut bibituri, neque corpori uestro, quibus indumentis usuri, nónne anima pluris est quàm cibus, & corpus quàm indumentũ? Per quæ declarauit ueram philautiam esse, cum quis amauerit animam, & ea bona quæ animam reddunt cœlo dignam, cætera uero externa esse contemnenda, nec diligenda, nisi quatenus seruiunt bonis animi. & apud Ioannem inquit, Qui amat animam suam, scilicet in hoc mundo, quo ad bona temporalia, perdet eam. & qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam aternam custodit eam. Hæc enim est uerissima philautia, quam licet omni ex parte Aristoteles non agnouisset, lumine tamen quodam naturæ, quod in eo plus quàm in alijs emicuit, magna ex parte olfecit.

De ordine huius amoris. CAP. CVI.

ET licet homo homines, ut in præcepto est, ex charitate diligere debeat, tamen non eodem ordine. Nam qui diligit ex charitate proximum, primo seipsum ex charitate diligit. Est enim in præcepto ut proximum diligat, modo quo seipsum diligit, quare cum amor sui sit quasi regula, qua homo proximum amare debeat: uidetur primo & magis à se ex charitate esse diligendum. Verum quia amor sui potest esse quo ad bona animi, quæ sunt maxime bona, & quo ad bona externa, quæ intantũ amãda sunt, inquantũ seruiunt simpliciter bonis. Dico eum qui ex charitate proximũ & se amat, prius proximũ debere amare,

si ad

si ad ea bona respexerimus, quæ sunt proximo animi bona, atq; simpliciter bona, quàm se, si ad ea bona aduerteri mus, quæ sunt nobis externa bona. Quippe cum externa bona non sint simpliciter amabilia, nisi quatenus utilia sunt ad bona, quæ simpliciter esse bona diximus. Hac ratione magis proximum diligere debet, qui ex charitate diligit, quàm proprium corpus, modo proximũ diligat, quo ad animi simpliciter bona. Proprium autem corpus, quo ad externa. nec proximos eodem ordine diligere debet, qui ex charitate diligit: uerum quo modo ordo sumendus sit, non est apud omnes protritum. Illud tamen nemo negare debet, ut sit in amore Dei & proximi ordo. nemo enim dubitat, ut postea patebit, in charitatis ipsius ordine Deum esse primo amãdum, deinde proximũ: & in amando proximo, prius esse unumquẽq; à se diligendum, postea alterum ab ipso. Quod si ita est, cur ea charitate, qua quis alios sibi proximos amat, non debet hos prius, illos autem posterius amare? Deinde charitas est inclinatio quædam, qua homo inclinatur ad amãdũ, quẽadmodũ aptitudo naturalis inclinatio est quædã ad agendũ, utraq; enim ex diuina prouidẽtia proficiscitur. Quare sicut inclinatio naturalis in aliquibus est maior, ceu in ipsa terra maior quàm in aqua ad motũ deorsum, & in ipso igne ad motũ sursum maior quàm in aëre, fit ut charitas in aliquibus debeat esse maior, & in aliquibus minor. Sed penes quos maior, penes quos minor, nõ est clarũ, nec exploratum. Sed illud nobis perspicuũ est, amabiles esse, & qui beneficia contulerunt, & qui perfectione eminent, & qui sanguine, uel quauis affinitate nobis coniunguntur, & alijs rationibus alijs, ut in libris Ethicorum tradit Aristoteles. Quod si ita

ita fuerit, oportet in ordine charitatis, qui est ad amabiles propter beneficia collata, primo ex charitate amemus. Qui in beneficijs conferẽdis excesserint, deinceps secũdum excessiuum ordinem. Hac ratione Aristoteles, deos, parentes, & præceptores primo diligendos esse tradit. In ordine uero charitatis, qui est ad amabiles propter perfectionem, diligẽdi ex charitate sunt, qui perfectione exuperãt, postea secũdũ perfectionũ ordinẽ. & ob hãc causam Aristoteles primo parentes, postea uxores diligendos esse asserit: in ordine autem charitatis, qui ad amabiles est propter coniunctionem affinitatis, qui in affinitate coniunctiores sunt, hi ex charitate primo diligendi, deinceps secundum affinitatis ordinẽ. Possent & alij ordines in charitate ipsa constitui secũdum aliũ modum, qui in amabilibus reperiri potest, quod diuinis doctoribus disserẽdum relinquo. Nec fortasse ab ratione esset, si quis in angelis, qui à nobis ex charitate diligũtur, ordinẽ cõstitueret. Nam nobis alij affinitate propinquiores uidentur, qui uidelicet inferiores sunt: hi enim quia sunt imperfectiores, propinquiores nobis apparent. alij affinitate remotiores, qui uidelicet natura sunt superiores. & si ita fuerit, erunt primo à nobis diligendi angeli, qui minimarũ rerum nuncij sunt: deinde archangeli, arcanorum diuinorũ reuelatores: postea uirtutes, quibus miracula, & signa nobis promũtur. Potestates deinceps, quæ dæmoniũ fugatores dicũtur. Principatus consequenter, qui regionum, prouinciarumq; sunt custodes: deinde dominationes, throni postea, qui Dei sapientia sunt illustrati, consequẽter cherubini, ultimo seraphini. At si charitatis ordo ex perfectioribus annotatur, qui natura nobis remotiores, perfectione uero superiores fuerint.

fuerint, primo ex charitate diligendi: deinde cõsequenter pro ipsarũ perfectionũ ordine. Vtrũ uero ita sit, Theologis discutiẽdum relinquo, satis autem sit monstrasse locũ.

De amore hominis ad Deum. CAP. CVII.

HActenus de amore hominis ad homines, & ad angelos: consequenter de amore hominis ad Deum agẽdum est. Sed quoniã aliter beati Deũ amãt, aliter autẽ qui in uia sunt ad beatitudinẽ: ideo dicamus eos, qui sunt beati, quiq; comprehensores dicũtur, Deum amare ex toto corde, quatenus omnis eorũ intentio ex omnibus, quæ meditãtur, amãt, aut agunt, in Deum ipsum fertur. Ex tota mente, quatenus eorum mens actu semper in Deum fertur ipsum, & omnia in ipso intuens. Ex tota anima, quatenus tota eorũ affectio in Deũ diligẽdum continuo fertur, & propter eum cũcta diligũt. Ex tota fortitudine, siue ex uiribus omnibus, quatenus omniũ exteriorũ actuũ ratio erit Dei dilectio. Hac ratiõe dictũ est in scriptura, Diliges dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. quibus uerbis Lucas addit, ex omni mente tua. Qui uero est in uia ad beatitudinem, ex præcepto debet ex toto corde, mẽte, anima, & fortitudine Deũ diligere. Si nihil ei defuerit ad diuinam dilectionem, quod actu, aut habitu in Deũ nõ referatur. Datur autẽ hæc Dei dilectio homini in præcepto, primo quidem, ut homo in Deum omnia referat, ueluti in ultimũ finẽ: quod Paulus annotauit, cũ inquit: Siue mãducatis, siue bibitis, aut aliud quicquã feceritis, in Dei ipsius gloriã omnia facite. quod adimpleri uidetur, cũ quispiã uitam suam omnem in obsequium Dei constituerit: nam sic cuncta, quæ per seipsum aget, uirtute quadã in Deũ ordinabũtur, modo ea nõ sint

quæ

quæ Deo abducant, quemadmodum scelera, hac ratione homo ex toto corde Deum diligere dicetur. Ex tota uero mente, si mentem suam homo Deo subijciat omnem, ea credens, quæ diuinitus traduntur, quod Paulus annuit, cum inquit, In captiuitatem redigentes omnem intellectũ in obsequium Christi. Ex tota autẽ anima, si homo quæcunque amat in Deo amauerit, si omnem affectionem generatim in Deum retulerit: quod Paulus non prætermisit, cum inquit: Siue enim mente excedimus Deo, siue sobrij sumus uobis: charitas enim Christi urget nos. Ex tota uero fortitudine, si omnia exteriora nostra uerba, & opera ex diuina charitate firmentur: quod etiam Paulus monet, cum inquit, omnia enim uestra in charitate fiant. Et quia primus modus est fere impossibilis homini in hac uita, nisi quispiam fuerit simul uiator, ac comprehensor, ut dominus fuit: secundus uero, quia possibilis homini est, in præcepto datur: uerum quia difficilis admodum uidetur, ideo ex consilio monet Paulus, si quis facilius eum assequi uoluerit, ut suum animum à rerũ temporalium cura auertat: hoc enim pacto contemplando, amãdo, uoluntatemq; domini implendo, in Deum facilius rapietur: est autem amor huiusmodi longe magis in Deum, quàm in proximum destinandus. Quod dominus apud Lucam innuit, cum inquit, Si quis uenit ad me, & non odit patrem, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, nõ potest meus esse discipulus: qua ratione fit, ut longe magis Deus quàm proximus diligendus sit, cum pro eo dicat omnes esse odio habendos. Insuper ex charitate unusquisque Deum magis diligere debet quàm seipsum: quippe cum Deus sit commune bonum, in quo ueluti in principio, ac

fonte

fonte beatitudo est, cuius participatione omnes beati dicuntur.

De amore dei ad hominem, & de diuina philautia, & de amore dei ad res irrationales. CAP. CVIII.

POst hæc de dei amore differendum, non quidem amplissimis discussionibus, sed breuibus, quatum nostro libro, qui de Pulchro, & Amore est, prodesse uidetur. Deum itaque se ipsum amare, peripatetici probarunt, & summi Theologi exploratissimum esse tradunt. Nam intellectus est, quem uoluntas comitatur, quemadmodum umbra corpus: quare si deus se ipsum intelligit, se ipsum quoque amet, necesse est. Et quoniam intelligit se infinitum bonum, & ipse est intellectus, atque uoluntas infinita, necesse est, ut etiam se ipsum amet, amore infinito: cum enim ipse se diligat, quantum in se diligibile est, & uoluntas amet, quantum pro facultate amare potest, fit, ut deus bonum sibi optet infinitum, hoc est, beatitudinem infinitam, & esse infinitum, ut perfectionem infinitam. hoc autem fieri non potest, nisi amor sit infinitus, quare est dei philautia, ut se ipsum amet amore infinito. Vtrum autem amor iste sit charitas, Theologis discutiendum omitto: illud unum scio, in huiusmodi amore maiorem unitatem esse, quàm sit in quauis amicitia unio. quippe cum illa sit, in identitate, ut logicorum uerbis utar, hæc autem in communicatione, consequenter amat nos, quod Aristoteles, & Auerroës probarunt, asserentes deum primaria intentione, ut uerbis utar eorum, amare se ipsum, secundaria autem nos. Et quoniam amat nos, necesse est, ut ex charitate amet: sumus enim cum eo in communicatione beatitu-

dinis conuenientes, sumus sicut & ipse intellectuales, sumus eius imago. Quod si amat nos ex charitate, necesse est, ut nobis optet omnia bona, quæ nobis accidere possunt, & quæ sunt gratiæ & gloriæ, & exteriora per eum modum, quo utilia sunt ad simpliciter bona. signo autem nobis est, quia omnia fecit propter nos: sumus enim & nos (ut Aristoteles inquit) quasi finis omnium. Quòd si nos ex charitate dilexerit, necesse est, ut omnes creaturas irrationales diligat, non quidem amore amicitiæ (quæ charitas est) non enim eum redamare possunt cum non communicent cum deo in uita intellectuali, sed amore concupiscentiæ, quatenus eas & ad rationales creaturas, & ad seipsum dirigit: ad rationales quidem creaturas, quatenus ordinat illas, ut seruiant rationalibus creaturis in simpliciter bonis: ad seipsum uero, non quatenus eis indigeat, sed propter suam bonitatem, atq; honorem: nihil autem prohibet (ut à deo) & à nobis aliquo modo diligantur ex charitate ipsa: in quantum uidelicet deus, & nos eas uolumus conseruandas esse ad dei honorem, nec non ad hominum utilitatem. Quòd si dicas, deus uult nobis bona & gratiæ, & gloriæ, & externa omnia quæ nobis accidere possunt, cum omnia quæcunq; uoluerit deus, ea fecerit, ut in psalmis exploratum est: hæc omnia omnibus hominibus facta esse necesse est: nemo dubitare debet deum hæc omnia nobis uelle, optareq;. quod & Paulus etiã probare uidetur, cũ inquit, Deus uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Hoc autem nobis uelle est, omnia bona nobis uelle atq; optare, sed cur nõ ueniant, Damascenus uir doctissimus asserit, deum hæc omnia nobis uelle antecedenti quadam uoluntate, quo modo iudex

uult

uult omnem hominem uiuere: hoc enim iudex uult, quia bonum: uoluntate uero consequente, quosdam homines uult uiuere, quosdam mori: uiuere quidē, quos nihil, nisi bonum sequitur: mori uero, quos malum consectatur, quo fiunt rei morte, ut homines homicidas, ut grassatores, & cæteros id genus. ita quoque Deus hominibus uult, & optat omnia bona uoluntate quadam antecedenti, quoniam omnes quo sunt naturæ intellectuales, sunt boni: consequenti uoluntate, uidelicet ea quæ consequitur ad opera hominum, uult quosdam seruari, quosdam autem damnari secundum suæ iustitiæ necessitatem: qua ratione fit, ut talis in uoluntatibus ordo, non sit ex parte Dei, in cuius uoluntate nihil prius, nihilue posterius est, sed ex parte hominum quibus bona, aut mala uult. hactenus de amore Dei ad hominem.

De heroina illustris Ioannæ pulchritudine. CAP. CIX.

Is igitur dilucidatis pro nostri libelli fine, deducere decet illustrem Ioannam earum puellarum esse pulcherrimam, quarum meminimus: quippe cum morum concinnitate, atq; corporis forma eas omnes excellat. Nam in suis corporis partibus non in aliquibus quidem, sed uel in omnibus gratia cernitur, cum primum nobis occurrerit. in ijs uero puellis, quarū meminimus, in quibusdam dunta xat. in Cynthia enim (quæ Propertium mouit) gratia solis erat ocellis, quod innuit, cum inquit,

Cynthia prima suis miserum me cœpit ocellis.

In Bryseida uero, gratia (qua Achillem rapuit) in solo colore, unde Horatius,

Prius insolentem serua Bryseis,

Niueo colore mouit Achillem.

In Eurydice gratia, quæ Orpheum concitauit, in capillis, digitis, vultu, papillisque collocabatur, vt Quintius inquit,

Venerat Eurydice sparsis formosa capillis,
Cui teretes digiti, cui flaua monilia vultus
Siderei inserto rubris candore papillis,

In Glycera gratia, quæ Horatium mouit, in nitore in proteruitate, & in vultus lubricitate spectabatur: vnde dicit,

Vrit me Glyceræ nitor
Splendentis pario marmore purius,
Vrit grata proteruitas,
Et vultus nimium lubricus aspici.

In Lauinia, quæ Aeneam & Turnum ad bellum coëgit, non nisi in crinibus, atq; genis erat: vnde Virgilius,

Filia prima manu flauos Lauinia crines,
Et roseas laniata genas.

In Tyrone puella, quæ Salmonei filia fuit, gratia, quæ Neptunum ad amorem rapuit, in candore: vnde Propertius,

Vobiscum est Iope, vobiscum candida Tyro.

In Illustri vero Ioanna gratia, quæ omnes ad amandum compellit, cum primum eis se obiecerit, non in aliquibus quidem, sed in vniuerso, atque singulis corporis particulis cernitur. Quòd si in aliquibus gratia, quæ amantes mouit in vniuerso ac singulis corporis partibus annotata est, vt in Omphale Lydorum regina quæ Herculem, & in Lesbia quæ Catullum, & in Glycera quæ Horatium, & in Cydippe quæ Acontium mouit, in his gratia pudicitiæ

comes

comes non erat: at in Illustri ipsa Ioanna gratiam in uniuerso suo corpore, singulisque illius particulis anno tatam pudor, pudicitiaue egregie comitantur: qua ratione fit, ut earum puellarum sit pulcherrima, quarum nos in hoc libello meminimus. Et de Pulchro, & Amore hactenus Niphus. Nouembri,

M. D. XXIX.

die III.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

SINE
FRAVDE.
tutte frauds

Digitized by Google